


C. A. Aike[n]
1852

OPVSCVLA
THEOLOGICA.

IVNCTIM EDIDIT

G. M. L. DE WETTE, DR.

THEOLOGVS BASILEENSIS.

BEROLINI,

APVD G. REIMERVM.

MDCCCXXX.

PRAEFATIO.

Commentationis meae de morte Iesu Christi expiatoria exemplis omnibus divenditis, suasit iam ante aliquot annos bibliopola, ut novam eius editionem pararem. Ego vero diu haesitavi et reluctanti animo manum ad rem admovi. Nam sunt quaedam in isto libello, quae mihi iam meliora edocto displicent et ab iis qui doctrinae christianae placita a maioribus accepta religiosius servant, in crimen versa sunt. Dicta Iesu Christi de mortis suae consilio ita explicavi, ut quae Apostoli de ea exponunt, longe a Salvatoris mente abesse et ad superstitionem Iudaicam pertinere viderentur: et licet etiamnum inter Iesu Christi et Apostolorum sententiam discrimen aliquod interesse statuam, tamen id non tantum est,

quantum ex iis, quae tum disserui, apparet. Minus fuisset offensioni sententia mea, si, in exponendis Iesu Christi dictis non acquiescens, doctrinae Apostolorum accurate expositae comparationem instituissem: intellexissent enim lectores clarius, me eam non prorsus repudiare, sed in ea agnoscere aliquid veritati et Christi menti consentaneum: nam ex quo in theologia aliquid sapere coepi, Pauli Apostoli sublime de iustificatione placitum recte perspexi et fundamentum religionis christianae agnovi. Attamen vel sic sententiam meam iis, qui salvatoris mortem pio sensu amplectuntur, non satisfacturam fuisse libenter fateor. Laborat illa mea disputatio vitiis quibusdam, quae paucis indicare difficile est, difficilius levi manu libellum retractando medela affertur. Sufficiat notasse, me non satis eorum, quae in religione minus cogitatione quam sensu percipi possunt, rationem habuisse, unde factum est, ut eam

mortis Iesu Christi considerandae rationem, qua pio animo peccatorum conscientia turbato tranquillitas et pax affertur, a Paulo Apostolo potissimum commendatam, in ipsis Iesu dictis, maxime in loco Ioh. III, 15. (quem tamquam dubium prorsus omisi) latere non viderem. Hodieque contendo, Iesum mortis, quam obiturus erat, vim potissimum in eo posuisse, ut ea doctrinam et dignitatem suam confirmaret, et adseclis summi amoris argumentum et exemplum praeberet. Sed haec *moralis* eius potestas prope abest ab eius vi expiatoria, quam saltem eum innuisse iam tum concessi. Nam Christiani hominis devotio, qua magistrum suum imitaturus mortem obit, vel ad eam obeundam semper paratus est, cernitur etiam pietate, qua ex eius morte, pro sua salute oppetita, solatium animi peccatorum conscientia territi capit; et amor, quo ductus morti se devovet, finitimus est fiduciae, quam in amore Dei et

indulgentia erga peccatores ponit. Quominus doctrinam de morte I. Chr. expiatoria recte tractarem, obfuit quoque falsa, quam conceperam, de natura sacrificiorum sententia: etenim me fugiebat, his ritibus ab eorum primordiis subfuisse aliquid, quod sensum vere pium aleret, eosque non nisi procedente tempore apud vulgus in superstitionem cessisse, potuisse igitur Christum et Apostolos eorum vim primitivam in rem suam convertere. Distinxi paulo subtilius inter proprium et allegoricum sive symbolicum cogitandi dicendique genus, neque tertium illud, quod medium locum obtinet agnovi, quo pii animi sensa obscure quidem, nec tamen continuo superstitiose significantur. Nam ea est religionis natura, ut in rebus humanis, in sensum cadentibus et in facto positis, divina quasi oculis intueri amet; et eiusmodi imago, qua intuenda Christianis persuasum est de Deo peccatoribus reconciliato, Christi mors est.

Alius locus est in isto libello, qui in eorum, qui Christum superstitiosius colunt, vituperationem incidebat, nec prorsus immerito *). Dico locum, qui est de ratione ac via, qua Iesus eo pervenerit, ut necessitatem mortis obeundae sibi impositam intelligeret. Rem studui explicare ex humana natura ita, ut Iesu errorem tribuerem, etsi non talem, qui ex pravitate animi, sed ex nimia erga homines benevolentia ortus fuerit. Tragica mihi videbatur et videtur Salvatoris mors, talis inquam, quam cum rebus adversis colluctatus urgenti rerum necessitati sponte cedens oppetiverit. Eam autem necessitatem quaerebam non solum in inimicorum odio, sed etiam in amicorum pravis opinionibus, quas Christus corrigere frustra studuerit et facile correcturum se esse speraverit. Quam coniectu-

---

*) Offenderunt tamen quidam ob inscitiam linguae latinae in locutione de Christo adhibita, cui nihil indigni inest. Dixi, *Iesum personam Messiae suscepisse*, quod sensu nostri: *eine Rolle spielen*, perceperunt.

ram si quis sancta Iesu persona indignam dixerit, ego nunc non contradicam; sed non valde me poenitet explicationis infelici quidem successu, tamen non sine veri studio tentatae, quam adhuc simili modo tentandam censeo. Nam si vere Iesus homo fuit, Theologo non solum facultas data, verum etiam officium iniunctum est vitae, quam ille in his terris egit, rationem ad leges humanae naturae revocandi: qua in re omnino cavendum est, ne divina eius natura evertatur. Quoquo autem modo rem institueris, vix ac ne vix quidem vituperationem eorum evitabis, qui magis Iesu Christi divinitatem, quam eius humanitatem tuendam esse censent: id quod nuper e Hasio, viro ingeniosissimo, accidisse video, qui in narratione rerum a Iesu Christo gestarum suspicatus est, Iesum primum regni theocratici condendi spem aluisse, neque nisi hac spe frustrata mortis oppetendae cepisse consilium. Haec res maxi-

me in causa fuit, cur novam editionem libelli detrectarem. Verebar, ne quae de Christo liberius sensissem et quae auferri non potuissent, nisi magna disputationis parte novata, iterum emissa vituperatoribus meis denuo bilem moverent: quocirca aliquando consilium fuit rem intactam requere.

At reputanti mihi, haud pauca in hoc libello recte tractata esse, ad quae in aliis scriptis meis lectorem brevitatis causa ablegare consueverim; ab aliis scriptoribus passim laudari, et cuilibet operi auctoris cuiusque non plane contemnendi suum, quem semel obtinuerit, in orbe litterario locum servandum esse, satius visum est iis, qui eo uti vellent, libelli copiam facere, et quae minus probanda essent nec facile emendari possent, iudicio relinquere doctorum hominum. Itaque prelo eum permisi, sed eundem, etiam iis locis quae facilius emendare potuissem, ut

pristinam plene retineret formam, dictione tamen passim correcta.

Adieci duos alios libellos et voluminis et ponderis minoris, quos tamen, cum nullibi prostent, nonnullos forte litterarum Hebraearum amicos iuvabit possidere. Eos quoque tales, quales suo tempore prodierunt, edidi iterum, quo manerent, qualiacunque sint, studiorum meorum documenta. Dissertationis de Deuteronomio dictionem identidem emendavi, iuvenilis tamen infacundiae colorem delere neque potui neque volui.

Scribebam Basileae m. Iulio 1830.

DESIGNATIO ARGVMENTI.

COMMENTATIO

DE MORTE IESU CHRISTI

EXPIATORIA.

PROOEMIUM.

§. 1.

Ex quo liberum rationis usum in disquisitionibus ad religionem pertinentibus admittere coeperunt theologi, nullum religionis Christianae dogma magis in dubium est vocatum atque huc illuc disputationibus tractum, quam dogma de morte Iesu Christi expiatoria s. vicaria. Fuerunt, qui dubitarent, num haec doctrina cum sanae philosophiae placitis et necessariis ethices legibus conciliari queat, quique liberalis N. T. interpretationis subsidio evincere studerent, Iesum Christum et Apostolos eam non proposuisse talem, qualis ab Ecclesia recepta et sancita sit, in eaque proponenda ad vulgares aequalium et popularium opiniones descendisse, neque voluisse dogma perpetuo servandum stabilire; fuerunt contra, qui doctrinam ecclesiasticam cum Iesu et Apostolorum dictis plane congruere, rationi vero et morum probitati non repugnare affirmarent [1]); neque plane

1) Ex iis, qui vel libertate vel licentia in doctrinam de expiatione inquisiverunt, praecipue nominandi sunt: Ammo-

composita ea lis videtur. Acta igitur acturos nos non putavimus, si hanc doctrinam denuo in examen vocaremus. Ne autem limites, quibus libellus circumscribendus erat, excederet disputatio nostra, in amplo huius doctrinae campo non late excurrendum, sed in aliqua parte subsistendum esse duximus. Constituimus igitur in originem doctrinae inquirere, ea ratione, ut primo exploraremus, an eius vestigia in Christologia Iudaeorum, qui Iesu Christi tempore vixerunt, deprehendantur, deinde de consilio, quo Iesus mortem obierit, videremus: cetera, quae de hac re in medium proferre possemus, ad alium locum et aliud tempus servantes. Neque enim rei periti ignorant, in iis, quae nobis tractanda sumsimus, rei summam esse positam, neque de tota doctrina recte iudicari posse, priusquam haec eius pars ad liquidum perducta sit. Omnium prima est quaestio, an Iesus eo consilio mortuus sit, ut peccata generis humani sanguine suo expiaret; ut autem recte iudicemus de mortis Iesu consilio, magni refert scire, utrum exspectationi aequalium satisfacturus mortem subierit, an aliis ductus rationibus.

NIVS, BAHRDTIVS, BAVERVS, CANNABICHIVS, EBERHARDIVS, ECKERMANNVS, FLATTIVS, LÖFFLERVS, PAVLVS, TIEFTRVNKIVS. Doctrinam ecclesiasticam defenderunt STORRIVS, IACOBIVS, SEILERVS, alii.

Fert itaque res, ut tractatum nostrum in duas partes dividamus, quarum prior quidem versabitur in quaestione, *num Iudaei Iesu et Apostolorum aetate eiusmodi Messiam exspectaverint, qui passione ac morte peccata expiaturus esset*, posterior vero exponet, *quonam consilio Iesus Christus mortem subierit, quidque de hac re ipse professus sit.*

PARS PRIOR.

Num Iudaei Iesu et Apostolorum aetate Messiam exspectaverint, qui passione ac morte populi peccata expiaturus esset.

---

§. 2.

Quemadmodum universa de morte Iesu expiatoria doctrina maxima virorum doctorum dubitatione ac dissensione laborat: ita hac de re diversa atque contraria statuuntur. Affirmant alii, Messiam, qui mortem expiatoriam subiturus esset, a Iudaeis illius temporis exspectatum esse; negant alii. Ab illorum parte stare video non solum SCHOETTGENIVM aliosque religionis Christianae adversus Iudaeos vindices et theologiae Iudaicae indagatores, quorum doctrinae Christianae et Iudaicae antiquae concordiam quibuscunque argumentis demonstrandi et Iudaeos recentiores ex ea refutandi perversum studium iam dudum explosum est [2]); sed etiam recentio-

---

2) Quae apud GALATINVM, DE VOISIN, MUELLERVM, MAIVM, praecipueque in libro *Gali Razia* inveniuntur, eius-

rum Theologorum haud pauci, ex quibus Io. E. Chr. Schmidtivm [3]), Staevdlinivm [4]), Poelizzivm [5]), A. Th. Hartmannvm [6]), Bertholdtvm [7]) honoris causa nomino, huic sententiae adstipulantur. Hi VV. DD. rem probare studuerunt tum locis e libris Iudaicis decerptis, tum aliis argumentis haud contemnendis, quamquam ingenue fateor, novissimum de Christologia Iudaica scriptorem Bertholdtvm, a quo lucem huic rei per-

modi argumenta e libris Rabbinorum et Cabbalistarum allata, magna ex parte vel minus accurate adhibita, vel male intellecta, vel falsa et ficta sunt. Neque Schoettgenivs, licet cavere sibi voluerit, ne recentiora cum antiquis misceret (vid. *Hor. Hebr. T. II. de Messia C. III. p.* 39.), in perscrutandis veterum Iudaeorum de Messia opinionibus ita versatus est, ut severioribus veritatis amicis satisfaceret. Vid. idem iudicium de his scriptoribus ferentes Corrodivm *krit. Gesch. d. Chiliasm.* P. I. p. 290. et Io. E. Chr. Schmidtivm *christolog. Fragm.* in *Biblioth. für Kritik u. Exegese des N. T.* T. I. p. 3. Auctorem libri *Gali Razia* (qui fuit Ivl. Conradvs Otto, Iudaeus conversus, postea vero ad religionem patriam regressus), graviter accusant Sommervs in *theolog. Soharica* p. 16. et Wagenseilivs in notis ad *Sota* p. 705.

3) *Christol. Fragm.* p. 18 sqq.

4) *Ueber den Zweck u. d. Wirkungen des Todes Iesu* in *Götting. Biblioth. d. neuesten theol. Liter.* T. I. p. 239 sqq.

5) *De gravissimis theologiae seriorum Iudaeorum decretis* p. 43. n. 80.

6) *Blicke in den Geist des Urchristenthums* p. 24 sqq.

7) *Christologia Iudaeorum Iesu Apostolorumque aetate* §. 29.

obscurae allatum iri merito speraveram, exspectationi meae parum satisfecisse. Alii vero vel simpliciter sententiam suam enuntiaverunt, quasi probatione non indigeret [8]), vel tantum repetierunt, quae illi attulerant, quasi re confecta [9]); qualis quidem rerum tractandarum modus ad verum explorandum parum conducit. Proxime ad illam sententiam accedit CORRODIVS, qui quamquam Iudaeorum recentiorum de Messia patiente doctrinam pro antiqua habet, eius tamen a Christiana haud levem differentiam recte observat [10]). Ii, qui ab altera stant parte, ut DOEDERLINIVS [11]), AMMONIVS [12]), SEILERVS [13]), BAVERVS [14]), GABLERVS [15]), ECKERMANNVS [16]), nescio cur id, quod persuasum habebant, argumentis idoneis firmare

---

8) Ut ille, qui sub nomine OTMARIS SECVNDI scripsit *Beiträge zur hist. Ausleg. d. N. T.* in HENKII *N. Magaz.* T. III. part. 2.

9) Sic KVINOELIVS in STAEVDLINII sententia acquievit in *Comment. in Matth.* XX, 28.

10) L. I. p. 284 sqq.

11) Ad Ies. L. III. ed. tert.

12) *Bibl. theol.* T. II. p. 140.

13) *Die Weissagung und ihre Erfüllung in ihren Gründen aus der heil. Schrift dargestellt* p. 150 sq., 210 sq., 213.

14) *Bibl. Theol. des N. T.* T. I. p. 259 sq. In *Theol.* vero *Vet. Test.* p. 407. contrariae sententiae adstipulatus erat.

15) In *progr. pasch.* Ien. an. 1808, cui inest *Meletem. I. in loc. Ioh.* I, 29. p. 10.

16) *Theol. Beiträge* T. I. p. 209.

et contra adversariorum argumenta tueri plane omiserint. Vel simpliciter negant, opinionem de Messia patiente aequalibus Iesu cognitam fuisse, vel pauca tantum argumenta afferunt. Miror maxime doleoque, doctissimum GABLERVM hanc rem ab instituti sui ratione haud alienam sibi non sumsisse accuratius investigandam et ad liquidum perducendam. In tanta VV. DD. hac de re dissensione ac controversia, equidem certi aliquid inventurum me esse plane despero, praesertim cum, qui in hanc difficillimam quaestionem descendere velit, eum tanta litterarum Cabbalisticarum et Rabbinicarum cognitione instructum esse oporteat, quanta mihi certe gloriari non licet. Quoniam vero instituti ratio postulat, ut in hac re tractanda qualemcunque operam ponam, hoc negotio ita perfungar, ut quae a viris doctis in utramque partem disputata sunt, diligenter recenseam atque in ordinem redigam, pauca, quae ad rem facere videbuntur, de meis adiecturus.

SECTIO PRIOR.

Num in V. T. libris doctrinae de Messia, passione ac morte peccata populi expiaturo, vestigia deprehendantur.

§. 3.

Cum omnis seriorum Iudaeorum theologia Vet. Testamenti libris, tamquam fundamento, ni-

tatur: ante omnia nos oportet inquirere, num in his libris doctrinae de passione ac morte Messiae expiatoria vestigia sint. Ut vero accuratius in hac re versemur, neve quicquam, quod ad eam pertineat, praetermittamus, plura huius doctrinae distinguenda sunt momenta, quorum unum et alterum vel separatim occurrere possit. Scilicet considerandum *primum* est, an Hebraei antiqui generatim peccatorum expiationem a Messia qualicunque modo perficiendam exspectaverint; *deinde* an huic futurae felicitatis auctori cum fortuna adversa conflictandum et mortem subeundam esse existimaverint; *denique* an pro illa peccatorum venia impetranda passurum eum esse vel adeo moriturum sibi persuaserint.

CAPUT I.

An Hebraei antiqui in universum peccatorum expiationem a Messia qualicunque modo consummandam exspectaverint.

§. 4.

Communis est omnium, qui ad sublimiorem rerum contemplationem adscendere non possunt, opinio, omnia, quae eveniant, ex lege talionis evenire, ita ut cum hominum factis fortuna eorum accurate compensetur. Quod in civitate aequis legibus temperata fieri solet, ut male facta poenae, bene facta praemia sequantur, id etiam

in rerum universitate, tamquam Dei regno, fieri existimant. In quam sententiam eo magis inclinabant Hebraei, quod eorum religio cum civitatis institutis intima coniuncta erat necessitudine, et notionibus politicis imbuta. Quotiescunque igitur rempublicam calamitatibus premi videbant, poenam peccatorum adesse rati sunt, a rege coelesti sibi inflictam, nec posse se ab his malis liberari, nisi peccatorum poenis solutis, sive venia a Deo impetrata. Sic peccatis suis populum exilii Babylonici poenam meruisse, et cum patriae redditus esset, satis poenarum dedisse et Deum iratum placasse opinio erat. (Ies. L, 1.; XL, 1. Ps. LXXXV, 3.) Sic Dan. IX, 24. finis calamitatum a reatus expiatione pendere dicitur [17]. Ad huius opinionis, tamquam legis certae, normam Hebraeorum historici, imprimis libri Iudicum auctor, res gestas redegerunt, unde error ille natus est, populum Hebraicum peculiari Dei cura et tutela gavisum fuisse, quem ne recentiores

---

17) Eiusdem opinionis vestigia sunt in libris V. T. apocryphis. Debellatis Syrorum copiis, Iudas Maccabaeus *ἀπεστρεψεν ὀργην ἀπο Ἰσραηλ*, 1 Macc. III, 8. coll. 2 Macc. VIII, 5. Ibidem v. 27. clades Nicanoris *ἀρχη ἐλεους* dicitur, et v. 39. Iudaei Iehovam precantur, ut in gratiam cum populo suo redeat, i. e. salutem iis praestet. Vid. BERTHOLDT. *Daniel aus dem Hebräisch-Aramäischen übersetzt*, T. II. p. 617.

quidem theologi omnes deposuisse videntur. Eadem opinione ducti prophetae populo peccatis dedito perniciem minari, resipiscenti vero et correcto salutem polliceri soliti sunt. Atque cum Hebraei in illam de Messia reipublicae restitutore novaeque felicitatis auctore futuro spem adducti sint calamitatibus continuis, quibus respublica vexabatur: non est mirum, quod felicitati a Messia parandae populi a peccatis purgationem antecessuram esse putaverint; id quod eo magis sibi persuadere poterant, quod non solum salutis publicae restitutionem, sed etiam morum pietatisque emendationem et perfectionem, idololatriae exstirpationem veraeque religionis triumphum in praecipuis numerabant beneficiis a Messia exspectandis. Quare ubi prophetae, pravis popularium moribus perstrictis et misero reipublicae statu deplorato, ad meliora tempora praesignificanda transeunt, solent annuntiare iudicium de populo habendum, quo malis reipublicae civibus et damnatis et exstirpatis, bonisque relictis, prisca iustitia, probitas, pietas felicitasque reditura sit (Ies. I, 25 sqq., Maleach. III, 19 sqq. al.). Ezechiel fractos exulum animos non solum spe erigit in patriam redeundi, et omnibus populi tribubus collectis amiceque coniunctis, pace beata fruendi, sed etiam ab idololatria omnibusque peccatis liberationem promittit (Ezech. XXXVII, 21

sqq.). Zacharias, Davidis filio adveniente, reatum populi remotum iri dicit (Zach. III, 9.), similiterque, qui sub eius nomine latet, propheta dicit, calamitatibus priorum temporum superatis, fontem Hierosolymis exorturum esse, ad peccata omnemque immunditiem populi et familiae Davidicae lustrandam (Zach. XIII, 1.)[18]). Quonam vero modo haec lustratio efficienda esset, prophetae non declarant; quod si alia eorum dicta eaque non pauca, quibus ad poenitentiam morumque emendationem hortantur, contuleris, non poteris dubitare, quin hanc populi emendationem, Deo quidem et Messia iuvante, propriis viribus perficiendam, oraculis significare voluerint. Neque enim tali imbuti erant superstitione, ut ritibus quibusdam externis, vel lavationibus vel piaculis, peccata doleri posse opinarentur, sed, quod Iesus Christus dilucidius docuit, ritus externos sine interna animi pietate nihil valere, identidem professi sunt (1 Sam. XV, 22 sq. Ps. L. coll. XL, 7—9. Ies. I, 11—18. LXVI, 3. Ier. VI, 20. VII, 21 sq. Hos. VI, 6. Am. V, 21 sqq. Mich.

---

18) Vaticinia Zach. IX—XIV, quae a prioribus dictione, argumento totaque indole maxime differunt, a Zacharia scripta esse non posse, demonstravit Flveggivs (*Weissagungen, welche den Schriften des Zacharias beigebogen sind*, p. 70 sqq.) et Eichhornius, qui ea Zachariae vindicaverat, postea idem agnovit. Vid. eius *Introd. in V. T.* T. III. p. 367.

VI, 6 sqq. Prov. XXI, 3.). Multi contra ex plebe, qui rebus externis adhaerebant, eiusmodi oracula sensu proprio accipientes, in animum inducere poterant, lustrationem illam solo Messiae beneficio perfectum iri; ex cuius erroris fonte Messiae peccata expiantis informatio oriri poterat. Eam vero apud priscos Hebraeos iam obtinuisse, merito dubitari potest; certe in Vet. Test. libris vestigia eius nulla sunt.

CAPUT II.

An Messiae cum fortuna adversa conflictandum mortemque subeundam esse existimaverint Hebraei.

§. 5.

Cum humanarum rerum ea sit conditio, ut boni fere nihil sine difficultate fieri possit: quid mirum, si regnum Messiae quoque magno labore et contentione condendum esse putaverint Hebraei. Sed quominus in hanc opinionem concederent, impediebat spes laetissimis prophetarum vaticiniis data, fore, ut singulari Dei auxilio felix illa rerum mutatio perficeretur. Nam quotiescunque prophetae Messiae eiusque regni vel futurae felicitatis in universum mentionem iniiciunt, solatii popularibus praebendi causa id faciunt; itaque laetis omnia coloribus pingunt. Praeterea prophetarum non est, quas praesignificant, res futu-

ras tam accurate describere, ut qua ratione eventurae sint, ordine enarrent. Sunt tamen aliquot prophetarum loca, quibus tristiora de futuris Messiae temporibus significantur. Pseudonymus ille propheta, cuius de lustratione effatum modo laudavimus, priusquam ad felicem rerum conversionem venit, non solum magnos bellicos tumultus, Hierosolymorum obsidionem hostiumque ingentem cladem pingit, sed etiam magnum in populo luctum fore de duce aliquo egregio, hostium gladio perfosso, praedicit (Zach. XII, 10.) [19].

---

19) Sequimur lectionem אֵלָיו, quam solam, nostra sententia, orationis contextus admittit. Etiamsi enim largiamur, quod tamen usu loquendi nullo modo potest probari, verbum דָּקַר sensu tropico *laedere*, *probris lacessere* significare posse: ea tamen significatio locum hic non habet, cum, quae de luctu eius, quem דָּקָרוּ, sequuntur nimis artificiose de poenitentia improborum, qui Deum irritaverint, intelligantur. Possuntne, qui de numine laeso doleant, lugere dici, sicut de filio unigenito? Praeterea sequens עָלָיו cum lectione אֵלַי conciliari non potest, et tertiam personam אֵלָיו efflagitat; nam cum Dathio ad h. l., Lessio (*Auferstehungsgesch.* p. 103.), aliisque hoc suffixum neutraliter sumere nos vetant leges grammaticae. Ceterum lectio אֵלָיו multorum Codd. aliorumque testium auctoritate firmatur (vid. de Rossi ad h. l.), quamquam mirandum est, eam veterum interpretum omnium testimonio destitui. Neque facile est explicatu, quomodo lectio vulgaris, si, quod videtur, falsa est, in textum irrepserit. Recte enim de Rossi ad h. l. observat, multo facilius a sacris criticis et librariis contextus analogiam sectantibus אלי mutari potuisse in אליו, quod bina sequentia

Nam etsi neque antiquae illi interpretationi, secundum quam crucifixi Iesu Christi vel lateris eius lancea puncti praesignificationem in hoc oraculo invenerunt [20]), accedere possum, neque de Messia ipso eiusque caede sermonem hoc loco esse puto: tamen universum hoc oraculum ad eam rerum conversionem, quam alii prophetae Messiae tribuunt, referendum esse persuasum habeo. Certe equidem non video, de quanam re melius explicari possit. Merito Grotii aliorumque coniectura, quae ad Antiochi tempora hoc oraculum referri iubet, a viris doctis improbata est eam potissimum ob causam, quod de Hierosolymis obsessis propheta noster dicat, Maccabaeorum autem aetate Hierosolyma expugnata et spoliata sint [21]). Neque cum alio quodam historiarum Iudaicarum tempore reipublicae status, qui a Nostro describitur, convenire videtur. De futuris rebus, praesagienti animo obversantibus,

---

עליו postulare videntur, quam אליו in אלי, quod contextui repugnat. Iure etiam ille Criticus Iudaeos a corruptae hoc loco scripturae crimine liberat. Num fortasse mutatis punctis vocalibus legendum est אֱלֵי, quod cum sequenti pronomine אֲשֶׁר coniunctum eum sensum admittit, quem contextus flagitat? Cui tamen coniecturae particula אֵת obstat, quae non permittit, ut אֱלֵי cum אֲשֶׁר coniungatur.

20) Vid. I. H. Michael. in *Bibl. Hal.* ad h. l. Vitringa *Observatt.* s. L. II. c. 9. p. 172.

21) Vid. Baveri schol. ad h. l.

nominatim de aevo Messiano, Nostrum vaticinari, cum inde colligitur, quod tam generaliter de omnibus, imprimis de hostibus loquitur, ut, quinam illi sint, ne coniicere quidem liceat, tum ex simili argumento aliorum eiusdem prophetae oraculorum apparet. Nimirum quae inde a cap. XIII, 7. sequuntur, et quae difficilius adhuc ad res in facto positas referuntur, imaginem felicissimi temporis futuri, miraculis Deique praesentis auxilio conspicui, exhibent; eiusmodi autem futurae felicitatis descriptiones, etiamsi Messiae ipsius mentionem diserte non faciunt, numero oraculorum habendae sunt, quae communi nomine Messiana appellare licet. Neque cap. IX. eiusdem prophetae aliter mihi explicandum videtur: vers. 9. et sqq. Messiae in urbem Hierosolyma introitum eiusque felix imperium designari verosimilius mihi videtur, quam ulla ex historiis petita interpretatio, quae mihi hactenus innotuit. Videtur Noster tempore vixisse, quo Messiae sive felicissimae rerum conversionis exspectationi maxime indulgebant Hebraei 22). Quodsi oraculum nostrum ad

22) Si de aetate incerti huius prophetae coniecturae est locus, eum Haggaei et Zachariae aequalem fuisse existimem. Patet enim ex nonnullis istorum prophetarum effatis (Hagg. II, 6—9. 21—23. Zach. II, 9—13. III, 8—10. VI, 12.), Messiae adventum proxime instantem tunc temporis in spe fuisse. Neque vero repugno, si alii seriorem aetatem ei ad-

Messiam et regnum eius referre liceat, colligere inde possis, opinionem fuisse apud Hebraeos, regnum Messianum non nisi maximis laboribus exantlatis conditum iri; id quod eo probabilius est, quod in altero similis argumenti oraculo (XIII, 7.—XIV.), sicut in nostro, ad futuram salutem promittendam transitum a calamitatibus descriptis, civitati illatis, animadvertimus. Quid? quod in utroque de caede ducis cuiusdam sermo est, qua via ad felicitatem panditur. In hanc sententiam accipi item potest Dan. XII, 1., ubi diserte dicitur, ante redemtionem populi tempora fore calamitosissima [23]). Verum enim vero haec omnia ad passionem Messiae trahi non possunt, sed pertinent potius ad opinionem, miseris communem,

---

signare velint. Miror, quod EICHHORNIVS ex Ephraimitarum et Assyriorum mentione facta colligit, vaticinium c. IX. et X. ad tempus referendum esse, quo regna Samaritanorum et Assyriorum nondum eversa essent. Non vidit vir doctissimus, de decem tribubus, ex captivitate in patriam reversis, et cum tribu Iuda et Beniamin reconciliatis, sermonem hic esse; quae cum ab Assyriis in exilium abductae essent, et in Assyria etiamnunc magna ex parte remanerent, poëta commode loqui poterat de Assyriae tyrannide opprimenda (v. 11.). Quod autem Aegyptii et exulum inde reducendorum mentio fit (v. 10. 11.) id cogit nos hoc oraculum ad tempora exilii Babylonici referre, cum tunc demum Israelitas in Aegyptum migrasse constet.

23) וְהָיְתָה עֵת צָרָה אֲשֶׁר לֹא נִהְיְתָה מִהְיוֹת גּוֹי עַד הָעֵת הַהִיא וּבָעֵת הַהִיא יִמָּלֵט עַמְּךָ.

salutem eo propius instare, quo maior sit calamitas, quam Hebraei eo magis animo imbibere poterant, quod prophetae, calamitatibus praesentis temporis descriptis, in futurae felicitatis imaginibus acquiescere solebant. Ortum inde est seriorum Iudaeorum decretum *de doloribus Messiae*, חבלי המשיח, quod diversum plane esse a doctrina de passione Messiae infra videbimus. Non incommode igitur ABARBANEL in *Maschmia Ieschua* 24) Zach. XIII, 9. ad dolores Messiae refert, observans: אשפר לפרשו על הצרות והרעות העצומות אשר יהיו בזמן קבוץ הגליות שהם חבלי משיח: *Potest de magnis calamitatibus et malis explicari, quae tempore collectionis captivorum erunt, quae sunt dolores Messiae.*

CAPUT III.

An pro peccatorum venia impetranda Messiam passurum vel adeo moriturum esse sibi persuaserint Hebraei.

§. 6.

Priusquam ad tertiam hanc eamque primariam quaestionem solvendam aggrediamur, haud abs re erit, Hebraeorum de peccatorum expiatione notiones cognoscere, a quibus doctrinam de passione ac morte Messiae expiatoria, si talem

---

24) Fol. 75. c. 1. in vers. MAII p. 506.

habuerint Hebraei, pendere oportet. Neque ubi hanc doctrinam apud Hebraeos non invenerimus, eas cognovisse pigebit.

Ac primum quidem in vulgus notum est, apud Hebraeos peccata, quorum nulla legitime constituta erat poena, vel quae ita comparata erant, ut publicae animadversioni se subtraherent et conscientiae hominum relinquenda essent, sacrificiis piacularibus expianda fuisse[25]. Sci-

25) Sacrificium piaculare apud Hebraeos erat vel חַטָּאת vel אָשָׁם, de cuius discriminis ratione parum constat. Quae de utroque sacrificiorum genere exstant leges (Lev. VI, 25—30. de sacrificio pro peccato, et cap. VII, 1—10. de sacrificio pro reatu), nihil lucis adferunt; quare ad coniecturas latus campus apertus est. Post I. D. Michaelem nonnullis antiquitatum Hebraicarum scriptoribus (Warnekrosio, Baborio, Iahnio, al.) placuit hoc discrimen ita explicare, ut sacrificium, חַטָּאת dictum, pro crimine commisso, illud vero, quod אָשָׁם appellatur, pro debito omisso offerri debuisse statuerent, quam coniecturam bene refutavit Gesenivs in Lex. Hebr. s. v. אָשָׁם. Eodem iure Grotivs (ad Lev. V, 1.) contrarium posuit. Quod alii statuunt (Relandvs, Venema, Cremervs, Bvddevs, Schvlzivs, Schwarzivs [*de nexu doctrinae de sacrificio Levitico et Christi* p. 20.], Bavervs [*Beschreibung der gottesdienstl. Verfass. d. alten Hebr.* T. I. p. 148 sqq.]) sacrificia אשמות praescripta fuisse illi, cuius peccatum praeter ipsum constaret nemini, neque ab ullo argui posset, qui conscientiae vi ductus sui ipsius accusator fieret; sacrificia חטאות contra ab illo oblata fuisse, qui per testes criminis convinceretur: id Iosephi quidem (Ant. Iud. L. III. c. IX. §. 3., et Philonis (de victimis p. 844. ed. Paris.) testimoniis et locis Lev. IV, 23. 28. V, 3. 4. probatur, sed non omnibus casibus, in

licet cum omnium, quae homines facerent paterenturque, perfectam compensationem fieri, Hebraeis persuasum esset (§. 4.): peccata quaeque vel poena ipsa vel re eius vicem supplente lui debere, et tunc demum condonari, sive, ut aiebant, *tolli* et *tegi* [26]) posse existimabant. Vicem vero poenae supplebant piacula, quibus peccatorum venia impetrabatur (Lev. V, 13.) [27]). Du-

quibus sacrificia haec diversa offerri necesse erat, consentaneum est. Ex. gr. eiusmodi discrimen inter אשם et חטאת, quae Nasiraeo diversa occasione offerenda erant (Num. VI, 12. 14.), non intercedebat. Aliae coniecturae, quas BAVERVS (l. l. p. 146.) et BVDDEVS (Hist. eccles. V. T., T. I. p. 576 sq.) recensent, minus etiam placent. Mihi quidem de discrimine hoc constituendo plane desperandum videtur. Cogitari potest, discriminis, quod inter illa sacrificia ab initio intercesserat, veram rationem seriore tempore in oblivionem venisse et neglectam fuisse, discrimine tamen ipso non prorsus abolito. Ceterum hoc discrimen ad nostram rem non pertinet. Utrumque enim piaculorum genus in eo convenit, quod eiusmodi peccata, quae iurisdictioni publicae obnoxia non essent, illis oblatis expiari solebant.

26) De vocibus, quibus Hebraei peccatorum remissionem significant, bene disserit SVESKINDIVS (*Ist unter Sündenvergebung*, *welche das N. T. verspricht*, *Aufhebung der Strafen zu verstehen*, in FLATTII *Magaz.* Part. III. p. 196 sqq.).

27) Sacrificia mulctae loco fuisse I. D. MICHAELIS, ad politica omnia torquentis, neque res sanctas sancta mente tractantis, infelix est coniectura, multis tamen (v. c. SCHVLZIO, IAHNIO) probata. Neque vero illa a legislatore sapientissimo eo consilio instituta sunt, ut peccata re vera iis expiarentur aut abolerentur, licet postea in superstitionem ver-

bium omnino est, num sacrificiorum piacularium pro poena debita substitutionem talem sibi Hebraei finxerint, ut victimas pro peccatore offerente, cui moriendum fuisset secundum legem, mortem subire vicariam existimaverint. Sunt, qui piacula tamquam munera ἱλαστικα tantum oblata fuisse censeant [28]). Certe nusquam in sacro codice diserte dicitur, victimae piacularis morte mortem peccatoris repraesentari: nam quem pro argumento afferre soliti sunt ritum victimae manus imponendi, Iudaeis סמיכה dictum, eum, cum omnibus sacrificiis communis esset, non peccatorum in victimam translationem, sed generatim eius consecrationem denotasse, iam inter omnes antiquitatum Hebraicarum interpretes constat [29]).

---

terint, sed ut symbola essent ethica, quae conscientiam admonerent. Recte Philo L. III. *de vita Mosis* p. 669.: οὐ λυσιν ἁμαρτηματων, ἀλλ' ὑπομνησιν ἐργαζονται.

28) Hanc substitutionem praecipue negat Sykesius (*Versuch über die Natur, Absicht u. d. Ursprung der Opfer*) ob id a Semlero in notis, eius libro adspersis, iure reprehensus.

29) Latius tamen ritus significationem patere, ita ut generatim finem oblationis et mentem offerentis, in sacrificiis שלמים gratiarum actionem, in sacrificiis חטאת et אשם condemnationem, denotaverit, sine ratione sumit Schulzius (*Compend. Arch. Hebr.* p. 276.). Quid sibi voluerint, qui hunc ritum in omnibus sacrificiis substitutionem victimae pro offerente denotasse statuerunt, equidem non adsequor. Cum manuum impositio locum etiam habuerit in supplicio de malefico sumendo: I. D. Michaelis (*typ. Gottesgel.* p. 59.) eam inde

Neque formula confessionis, quae in eiusmodi sacrificiis recitata esse traditur [30]), quicquam habet de hac translatione. Non desunt tamen rationes, quibus victimarum piacularium pro peccatore substitutio probari possit, quarum gravissimae hae sunt:

1) Sacrificiorum piacularium materies ritusque eam innuere videntur. Cruenta enim esse debebant, nisi, qui offerebat illa, paupertate ita laborabat, ut ne columbas quidem offerendi facultas esset, ubi fertum e farina compositum pro piaculo offerre licebat (Lev. V, 11—13.) [31]). Cuius instituti rationem explicat locus Lev. XVII, 11.:

---

ad sacrificia piacularia translatam esse coniecit. Verum illic quoque consecrationem, capitis scilicet, denotabat. Vid. SYESKINDIVM l. l. p. 214.

30) A MAIMONIDE in *Maase Korban* cap. III. hoc modo traditur: אנה השם חטאתי עויתי פשעתי עשיתי כך וכך יחזרתי כתשובה וזו כפרתי. Exstat apud CARPZOV. *App. hist. crit. Antiqq.* p. 711. et OVTRAM. *de sacrif.* L. I. c. 15. §. 6. p. 158. Eam vero non esse antiquam, dictio arguit. CARPZOVIVS l. l. haec adiicit: „Nullus autem dubito, quin olim, quando purior Iudaeis constabat religio, clariorque sacrificii mediatorii Christi cognitio, explicatior et amplior fuerit admissorum deprecatio, ac disertam fidei fecerit mentionem et translationis culpae in hostiam coram Deo unice valentem, Messiam etc.“ Similis est formula illa, quae die expiationis recitabatur, quam vid. apud GOODWIN. in *Mos. et Aaron* L. III. c. 8. §. 6. p. 619. ed. HOTTING.

31) Nimium inde colligit SYKESIVS; contra quem vide SCHWARZIVM l. l. p. 25.

anima carnis est in sanguine, et dedi eum vobis in altare ad expiandas animas vestras; nam sanguis expiat animam; unde patet, sacrificia piacularia non potuisse simpliciter tamquam munera Deo offerri. In hanc partem etiam interpretor cautelam peculiarem in his sacrificiis observandam, ut, quicquid sanguine victimarum macularetur, pro polluto habendum esset (Lev. VI, 19. 20.). Videtur nempe opinio fuisse, earum sanguinem, culpa peccatoris in eas translata, impurum esse factum [32]. Accedit, quod nonnulla horum sacrificiorum, ea scilicet, quae pro peccato Pontificis Maximi et totius populi offerebantur, extra castra concremanda erant (Lev. IV.); quo quidem ritu haud dubie significabatur, peccatorum immunditiem in ea transiisse atque igne deleri.

2) Sacrificiis piacularibus poenam, cui offerens obnoxius esset, adumbratam fuisse, ex aliorum sacrificiorum ratione apparet. In sacrificio foederis vitulus in duas partes dissecabatur, per quas ex adverso humi positas foederati trans-

---

32) Bvddevs *Hist. Eccles. V. T.* T. I. p. 575. huius singularis rigoris in sacrificiis piacularibus adhibendi rationem arcessit inde, quod haec sacrificia ad peccatum originale naturalemque, quae inde oriatur, hominum immunditiem respectum habuisse videantur.

ibant, significantes, se velle, ut, si periurii rei forent, eandem sortem subirent, quam victima subiisset (Ierem. XXXIV, 18 sqq.); quo ritu victimae morte poenam sacrificantium, futuram illam quidem, repraesentatam esse quis non videt? Quemadmodum autem in hoc sacrificiorum genere victimae sacrificantium quasi vicem supplebant, quippe quarum nex futuram poenam repraesentaret: ita etiam in piacularibus in eorum locum substitui poterant, ita ut poenam cummaxime tollendam significarent. Huc pertinet etiam alius ritus. Caedes, cuius patrator ignotus erat, ita expiabatur, ut seniores et iudices oppidi proxime vicini super iuvencam mactatam manus lavarent, testificantes, se sanguinem illum non effudisse (Deut. XXI, 1—9.); qua caerimonia quid manuum lavatio super victimam facta denotarit; dubium esse non potest. Scilicet abluebatur culpa, et in victimam transferebatur. Quodsi enim haec victima nihil nisi munus *ἱλαστικον* fuisset neque in eam culpa translata esset, equidem ritum manus super eam lavandi prorsus non intelligerem. Praeterea peccata in victimam transferendi symbolum notum fuisse, docet ritus hirci emissarii, in cuius caput omnia totius populi peccata reiiciebantur (Lev. XVI, 21.). Dubitatur quidem, utrum haec translatio facta sit in eum finem, ut hircus peccatorum poenas populi loco lueret, an ut ea

tantum in desertum auferret [33]). Verum quodcunque statueris, peccatorum translationem agnoscas, nobisque concedas oportebit, eam potuisse etiam adhiberi in sacrificiis vere piacularibus.

3) Victimarum piacularium substitutionem in locum peccatorum recte probat SCHWARZIVS [34]) significatione verbi חִטֵּא, de expiatione usitati, metaphorica *restituere quod desideratur* sive *aliud in eius locum substituere*, quae Gen. XXXI, 39. occurrit. Certe huic verbo restituendi notio non potuisset inferri, nisi in eo substitutionis notio infuisset. Eadem vocis כִּפֶּר est ratio, quae quidem de sacrificiis non adhibetur, cognata autem

---

33) Illud affirmat BAVERVS (*Beschr. etc.* T. I. p. 166. et *Bibl. Theol. des N. T.* T. IV. p. 128.); hoc SVESKINDIVS (l. l. p. 217. in not.), quod et mihi probatur. Sed accedere ei non possum, quod negat, hircum mactatum expiasse emissum alterum, quod v. 10. diserte dicitur. Quam phraseos לכפר עליו dat explicationem, leges grammaticae non admittunt. Ex antiquioribus haud male de hac re iudicat HERRM. WITSIVS, qui in *Oecon. Foederum* lib. IV. c. VI. p. 543. immolatum hircum adumbrasse censet veram peccatorum expiationem, quae fiat effusione sanguinis; emissum vero, consequens et effectum huius expiationis, in abolitione peccati, ne amplius coram Deo compareat. Cf. CARPZOV. l. c. p. 441. Recte SPENCERVS *de legg. ritual. Hebr.* p. 1051. ed. *Pfaff.* hunc ritum explicandum censet e ritu lustrationis leprosi Lev. XIV, 4 sqq., in quo duo passeres adhibebantur, alter mactandus, alter liber emittendus, isque haud dubie eo consilio, ut immunditiem auferret.

34) *De nexu doctr. de sacrif. Lev. et Christi p.* 21.

est verbo כִּפֶּר *expiare*. כֹּפֶר denotat id, quo aliud compensatur, quod eiusdem pretii est. Ex gr. ubi bos servum alterius ita cornibus percusserat, ut moreretur, possessor bovis solvere illi debebat triginta siclos, quod erat pretium servi legitime constitutum (Exod. XXI, 31.). Caedem contra ab homine patratam eiusmodi λυτρῳ expiari vetat lex Num. XXXV, 33., quia culpa maioris aestimabatur, quam ut pretium ullum eam aequipararet [35]).

4) Apud alios antiquitatis populos huius superstitionis certiora exstant vestigia. Victimis piacularibus Deorum iram atque imminentem calamitatem ita averti credebant, ut sacrificantis vice illae poenam debitam luerent; id quod docet ritus diras piaculis imprecandi, non solum Aegyptiis, sed aliis etiam populis solennis. Aegyptios tradit HERODOTVS [36]) victimarum capita exsecrari his verbis: *εἰτε μελλοι ἠ σφισι τοισι θυουσι, ἠ Αἰγυπτῳ τῃ συναπασῃ κακον γενεσθαι, εἰς κεφαλην ταυτην τραπεσθαι*: additque, hunc morem per universam Aegyptum, *κατα τας κεφαλας των θυομενων κτηνεων*, obtinuisse [37]). De Gallis I. CAESAR

---

35) Substitutionis notio aperte expressa est voce כֹּפֶר Ies. XLIII, 3. Prov. XXI, 18., in quo utroque loco τῳ כֹּפֶר respondet תַּחַת.

36) Lib. II, 39.

37) Quodsi BOCHARTI, WITSII, DEYLINGII, al. senten-

haec refert [38]): *Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus. Atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in praeliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium Numen placari arbitrantur.* Eadem Romanos de sacrificiis sensisse ex Ovidio [39]) discimus, qui rem his verbis exponit:

Parcite, pro parvo victima parva cadit;
Cor pro corde precor, pro fibris sumite fibras,
Hanc animam vobis pro meliore damus.

Idem eloquitur auctor distichorum, quae Catonis nomen prae se ferunt [40]):

---

tia probari posset, qui hunc ritum ab Israelitis ad Aegyptios manasse contendunt, sane non esset, quod alia argumenta quaereremus. Neque vero minus rem nostram iuvant Spencervs al., qui ritus Mosaicos ab Aegyptiis aliisque gentilibus deducunt. Instituta sacra Israelitarum et aliorum populorum, praecipue Aegyptiorum, aliqua inter se iuncta esse affinitate, hodie nemo est, qui neget. Recte igitur ex his illa illustramus.

38) *De bello Gallico* L. VI. c. 15.

39) Fast. L. VI, 160. Vid. Schwarz. l. l. p. 24.

40) Vid. Grot. *de satisfactione* c. 10. Lomeier. *de lustrat.* p. 6.

Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?

Bene etiam rem illustrat locus apud PORPHYRIVM [41]): *Το πρωτον οὐκ ἐθυετο τοις θεοις οὐδεν ἐμψυχον, ἀλλ' οὐδε νομος ἠν περι τουτου, δια τῳ νομῳ φυσικῳ κεκωλυσθαι. Ὑπο δε τινας καιρους πρωτον ἱερειον θυσαι μυθευονται, ψυχην ἀντι ψυχης αἰτουμενους* [42]).

Quibus argumentis etiamsi iis, qui sacrificia piacularia tamquam munera, Dei iram lenientia, oblata fuisse contendunt, de eorum substitutione in locum offerentium persuadere non potuerimus: hoc tamen facile nobis concedent, potuisse ea munera, quia non nisi ex sanguine et vita constabant, ad vitam offerentium redimendam referri: quod factum esse locus e Levitico supra allatus docet. Hinc autem successu temporis oriri poterat opinio de morte victimarum succedanea, quam re vera apud recentiores Iudaeos invenimus. Constans est doctorum Iudaicorum sententia, victimam pro offerente, animal pro anima oblatum esse, cuius rei testis est auctor libri *Re-*

---

41) *De Abstinent.* l. IV. c. 15., quem attulit WITSIVS *Miscell. Sacr.* T. II. exercit. XX. *de theol. gentil. in negotio iustificat.* §. 14.

42) Id genus plura suppeditant WITSIVS l. l. et in *Aegypt.* L. II. c. IX. §. 6. GROTIVS l. l. c. X. DEYLING. *Observatt. sacr.*, observat. XVIII. LOMEIER. l. l. c. XXI. p. 265 sqq.

schith chochma c. III.: כאשר היה האדם חוטא והיה מביא קרבן במדת רחמים הוא שיקובל קרבנו כי הדין נותן הנפש החוטאת היא תמות אלא במדת רחמים אמר הקב"ה יביא נפש בהמה תחת נפשו. *Si quis peccaverat, et offerebat sacrificium, misericordiae divinae erat proprietas, quod acceptaretur eius oblatio; iustitiae enim decretum erat: anima, quae peccaverit, ipsa morietur. Verum secundum misericordiae suae decretum dixit Deus: offerat anima animal pro se*[43]). Eius generis expiationem etiamnum celebrant Iudaei, qui ante diem expiationis gallum gallinaceum, si sunt viri, gallinam vero, si sunt foeminae, mactant, formulam hanc pronuntiantes: זה חליפתי זה תחתי זה כפרתי התרנגול ילך למיתה ואני אלך לחיים טובים עם כל ישראל אמן. *Hic sit permutatio pro me, hic gallus ibit in mortem, ego autem ad vitam felicem sum iturus cum toto Israële. Amen*[44]).

---

43) Vid. Schwarzivm l. l. p. 22.

44) Vid. *Sepher Minhagim* (Amstelod. 1662.) fol. 45. c. 2. Bvxtorf. *Synag. Iud.* c. XXV. p. 508. Carpzov. *Apparat.* 439 sq.

De substitutione victimarum piacularium in utramque partem disputatum est a viris doctis, quos recenset Baveryvs *Bibl. Theol. d. N. T.* T. IV. p. 123 sq. Sveskindivs l. l. p. 212 sqq. hanc substitutionem negat, concedit tamen mortem victimae fuisse symbolum poenae offerenti solvendae. Hoc autem concesso, illud quoque concedendum est. Si enim victimae mors peccatoris poenam significabat, illa huius vice

§. 7.

Iam cum pecudum morte interposita peccatorum veniam impetrari Deumque iratum placari posse, in opinione Hebraeorum fuerit: quaeritur, num per homines quoque, in aliorum vicem mala mortemque subeuntes, expiationem fieri posse rati sint? Exsecrandam homines ad expianda peccata immolandi superstitionem, omnibus fere antiquis populis communem, Cananitis vero imprimis usitatam [45]), Hebraeis severe interdictam fuisse, neque tamen inter eos prorsus aboleri potuisse, constat. Potuit inde manare opinio de passione ac morte hominis expiatoria. Quemadmodum vero superstitio illa a patria religione prorsus aliena erat, ita etiam haec opinio in puram et, ut ita dicam, orthodoxam religionis doctrinam adscisci, prophetisque, religionis doctoribus et custodibus, probari non poterat. Exstant de hac re praeclara verba MICHAE (VI, 6—8.), quibus populo, ad poenitentiam verso anxiaque mente reputanti, quonam modo quibusque piaculis iram Dei placet, et interroganti, num primogenitus pro

---

fungebatur symbolice. Neque alio nisi sensu symbolico victimarum substitutio in locum offerentis sumi potest, licet postea, sicut omnia symbola, in superstitionem verterit.

45) Larga de hac re collectanea suppeditat I. BRYANT in libello de veterum sacrificiis humanis, a I. D. MICHAELE Germanice edito, Gotting. 1774.

peccato expiando devovendus sit, ita respondetur: *Notum tibi est, o homo, quid bonum; et quid postulat a te Iehova, nisi iustitiam et pietatem et humilitatem?* Quo quidem effato omnis ex hoc genere superstitio evertitur. Neque sacrae historiae quicquam referunt de hominis devotione, qualis Deciorum fuit. Quod enim 2 Sam. XXI. legimus de fame supplicio septem filiorum Saulis aversa, huc non pertinet, sed ex more Hebraeorum, caedis poenam ab homicidae posteris expetendi, aestimandum est. Sunt tamen duo loca, quae de hominis pro altero substitutione, ad eius salutem redimendam, facta, exponere videntur. Prov. XXI, 18. proverbium hoc legimus: *Improbus pro iusto λυτρον est, et loco integrorum impius*, i. e. Iustus a malis liberatur, improbo in eius locum substituto. Num autem haec eo sensu dicta esse putemus, ut quae suis peccatis mala meritus sit iustus, ea improbus expianda in se suscipiat et ita eius piaculum fiat? Qui sensus plane ineptus est; nam si iustus poenas meruit, iustus non est [46]). Neque proverbii sententia esse potest, iustum liberari improbi substitutione tamquam λυτρῳ; si enim λυτρῳ eget, pro iusto non habendus est. Vera sententia est: iustus a malis liberabitur, poenas debitas iniustus

---

46) Praeterea כֹּפֶר nunquam de piaculis adhibetur.

luet, quae communis Hebraeorum persuasio, praecipue Psalm. XXXVII. et LXXIII. expressa est. Vox כפר itaque sensu improprio usurpata est. Eadem ratio est loci Ies. XLIII, 3., ubi pro Israelitis, e captivitate redimendis, Aegyptus, Aethiopia et Sabaea λυτρου loco dari dicuntur. Scilicet ad amorem Iehovae erga populum suum demonstrandum comparat propheta Israelitarum sortem cum sorte aliorum populorum, qui, dum illi captivitate liberarentur, in ditionem Persarum redacti sint, ita ut quasi dici posset: hos populos in locum Israelitarum succedere, et eorum libertatem sua redimere. Cum igitur opinionis de expiatione per hominem facta nulla plane vestigia sint, pro certo ponere possumus, Messiae peccata populi morte expiaturi notionem Hebraeis prorsus ignotam fuisse; quae eadem sententia est recentiorum fere omnium scripturae s. interpretum. Qui secus sentiunt, nullum argumentum afferre possunt, nisi eam vaticinii Ies. LII, 13.— LIII, 12. explicationem, quam interpretationis grammaticae leges non ferunt, et qua refutanda facile supersedere possumus. Postulat tamen instituti ratio, ut in sensum huius loci difficillimi inquiramus, qui, qualemcunque eius explicationem sequamur, expiationem calamitate et morte hominis, quisquis fuerit, factam continere videtur.

§. 8.

Maxima eaque unica, qua huius oraculi explicatio premitur, difficultas sita est in obscuritate personae, de qua agitur. Quisnam sit, qui summis iniuriis calamitatibusque tolerandis populo Iudaico salutem conciliasse dicitur, adeo dubium est, ut qui varias interpretum de hac re sententias recensere velit, eum librum non mediocris ambitus scribere oporteat 47). Videtur quaestionis summa eo redire, ut definiatur, num haec pericope cum iis, quae antecedunt et sequuntur, cohaereat, et quomodo cohaereat. Uti enim contexta oratio in rebus hermeneuticis summa auctoritas est: ita nunc potissimum consulenda erit, ubi reliquis interpretationis subsidiis destituti sumus. Neque vero in hac re interpretes consentiunt. Et plurimi quidem statuunt, omnia, quae a cap. XL. usque ad finem libri Iesaiani leguntur, intimo inter se nexu cohaerere; his autem adversantur Avgvstivs et anonymus quidam Iesaiae interpres [48]),

---

47) Praecipuas interpretationes recensuerunt auctor epist. super Ies. LIII. in Eichhornii *Allgem. Bibl. d. bibl. Lit.* Vol. VI. part. 6., et auctor comment. in Ies., qui inscriptus est: *Exeget. Handb. d. A. T.* part. VI. p. 153 sqq. Gesen. *Comm. in Ies.* II. p. 158—172.

48) Ille in sua Introd. in V. T. p. 249 sqq., hic in comment. in Ies. modo laudato. Staevdlinivs in eadem sententia esse videtur, quippe qui nostram pericopen explicaverit, contextus nulla ratione habita.

qui, hunc nexum negantes, particulam nostram a reliquis separandam et seorsim interpretandam censent. Necesse igitur est, ut in hanc rem accuratius inquiramus. Ac primum quidem, praetermissa pericope nostra, de reliquarum argumento mutuoque nexu videamus; quas inter se cohaerere ubi monstraverimus, explorabitur, an illa quoque iis adnectenda sit.

Reliquas omnes pericopas, quae hac libri Iesaiani parte posteriori continentur, inter se optime cohaerere, arguit tum argumenti, tum dicendi generis aequalitas. Et rerum quidem, quae tractantur, capita fere sunt haec: reditus Israelitarum in patriam; Iehovae potentiae et veritatis, cui hoc beneficium debeatur, praeconia; vanitas idolorum; auctoritas divina vatis; Israelitarum consolatio et revocatio in patriam; principis, qui domum revertendi potestatem faciat, cuiusque auspiciis restauranda sit respublica Iudaica, laudes; imperii Babylonici destructio et aliorum reipublicae Iudaicae hostium excidium; captivitatis Iudaeorum causae, impietas in Iehovam et scelera; novae reipublicae felix conditio. In quibus tractandis ita versatur poëta, ut nullo ordine servato, ex altera sententia in alteram incidat, omniaque inter se misceat. Unde factum est, ut quae prioribus capitibus iam proposuit, vel attigit, eadem posterioribus retractet, uberius exponat, quod

eorum locorum, quae vel eadem vel similia continent, recensus testabitur, Blando exulum animi firmantur alloquio Cap. XL, 1. 2. XLI, 8—10. 13. 14. XLIII, 1. 5. XLIV, 1. 2. XLIX, 13—16. LI, 17. LII, 1. 2. LIV, 1. 4. LX, 1., ex quibus locis praecipue XLI, 8—10. 13. 14. XLIII, 1. 5. XLIV, 1. 2., tum LI, 17. LII, 1. 2. LIV, 1. LX, 1., inter se magnam habent similitudinem. Israelitarum felix in patriam reditus et a malis liberatio iisdem paene verbis et imaginibus nuntiatur XL, 3—5. XLI, 17—20. XLII, 13—16. XLIII, 19—21. XLIV, 3. 4. XLVIII, 21. XLIX, 9—11. LV, 12. 13. Item exitus eorum e Babylonia XLVIII, 20. LII, 11. LXII, 10. Vindicta et remuneratio eorum XL, 10. LIX, 15—20. LX, 11. Omnium Israelitarum reductio et congregatio XLIII, 5. 6. XLIX, 12. 22. 24. LXVI, 19. 20. Reipublicae Iudaicae et urbis sanctae restitutio felixque conditio similibus imaginibus pingitur XLIX, 17—23. LIV, 1—3. 11—13. LX. LXI, 5—9. LXII, 6—9. LXV, 17—25. LXVI, 6—14. Conferantur maxime inter se XLIX, 20. 21. LIV, 1—3. LXVI, 6—9. Ea beneficia Iehovae potentiae et veritati debita declarantur XL, 6—11. XLIV, 24—28. XLV, 5—7. 12. 15—25. XLVI, 8—13. XLVIII, 12. 16. Ea comparatur cum idolorum vanitate XL, 12—31. XLI, 1—7. 21—29. XLII, 17—21. XLIII, 8—13. XLIV, 6—20. XLV, 15—25.

XLVI, 5—7. XLVIII, 3—7. 12—14. Vaticiniorum veritas eventu probatur XLII, 9. XLIII, 12. XLVIII, 3. Laetioribus admiscet poëta acerbam miseriae, qua populus premebatur, eiusque causae, impietatis puta, commemorationem, severam reprehensionem et comminationem XLII, 22—25. XLIII, 22—28. LVI, 10. — LIX, 15. LXIII, 17. — LXIV, 12. LXV. LXVI, 1 — 5. 15—17. 24., quod tamen misericordiam Dei et peccatorum veniam annuntiando mitigat XL, 1. XLIV, 21. 22. LIV, 7. 10. LVII, 16—18. Ceterum inserta quaedam sunt, quae id agunt, ut vati auctoritatem concilient, eumque ut hominem numine afflatum sistant XL, 6. XLII, 1—7. XLIV, 26. XLVIII, 16. XLIX, 1—9. L, 4—10. LIX, 21. LXI, 1—3.

Difficile est dubitare, haec inter se tam similia tamque arcte cohaerentia ab eodem poëta esse scripta. Qui nihilo minus dubitet, eum dictionis artisque dicendi aequalitas convincat necesse est. Praeter ea, quae attulimus, exempla notare sufficiat singularem vocum משפט, צדקה et צדק usum in his locis regnantem XLII, 4. 6. XLV, 8. 25. XLVI, 12. 13. XLVIII, 18. 45. LIV, 17. LVI, 1. LVIII, 2. 8. LIX. 9. 14. etc. (Cf. Gesenius s. h. vv.) et quam Noster maxime amat, figuram praedicata alicuius rei nominibus ei inditis denotandi (quam Hebraeis propriam Glassius omisit) LVI, 7. LX, 14. LXI, 3. LXII, 4. 12. coll.

XLIV, 5. XLVII, 1. 4. 5. Tantummodo in pericope LXIII, 1—6., quae Edomitarum excidium continet, ac ne tantillum quidem cum reliquis cohaerere videtur, paulum me offendisse confiteor. Nullus autem scrupulus resedit, postquam reputaram, ad firmandam novae reipublicae salutem Edomitarum, Israelitis infestissimorum, interitum maxime necessarium poëtae visum esse. Praeterca scita est ROSENMVELLERI ad h. l. observatio, sub Edomitarum interitu ceterarum quoque gentium vastationem depingi, quod suadeat caput parallelum XXXIV [49]).

§. 9.

Iam vero incidit quaestio, num pericope Ies. LII, 13. — LIII, 12. cum illis, quas recensuimus, connectenda, et ad quodnam argumenti genus referenda sit. Si ea, quae locis notatis propheta ad auctoritatem suam firmandam adiecit, accuratius consideraveris, ad id genus eam referre nullus dubitabis. Quare videamus, quae eorum sit locorum ratio.

In primo XL, 6. inducitur propheta audiens Numinis vocem, quae ipsum ad homines loqui iubeat, eique, quid eloquatur, praecipiat. Quo qui-

---

49) Suspicor, hoc caput et sequens Nostro etiam tribuendum esse. Certe cap. XXXV. cum nonnullis locis partis posterioris magna est similitudo.

dem prophetis Hebraicis satis vulgari artificio significare voluit auctor, ea, quae proponat, a propheta divinitus constituto proficisci. Id quod apertius declarat cap. XLII, 1—7., ubi Iehovam inducit loquentem, qui testatur, vatem ministrum suum [50]), a se electum divinoque spiritu actum, insignem suscepisse provinciam, ut iudicia, quae Deus in populos exercere decreverit, et liberationem exsulum Israeliticorum annuntiaret, gentesque ab idololatria ad veri Dei cultum revocaret. Simul significatur (v. 4.), non sine difficultate et molestia munere suo fungi prophetam. *Non hebescet, neque frangetur, donec ius in terra constituerit*, i. e. Dei iudicia terris annuntiaverit. Cap. XLIV, 26. obiter Deus effata ministri sui confirmare dicitur, et XLVIII, 16. propheta se a Deo missum affirmat. Similis est locus LXI, 1—3. Explicatius loquitur XLIX, 1—9., ubi non solum divinam legationem et, quod sibi mandatum sit, praeclarum negotium, ut reditum Israelitis promulget et gentes ab idolis revocet, sed illud quoque, quod cap. XLII, 4. attigit, prolixius exponit. Queritur scilicet, se frustra laborasse viresque consum-

---

50) Sub ministro Iehovae, de quo hic sermo est, prophetam, non populum Israeliticum, multo minus autem Cyrum esse intelligendum, satis perspicue ostendit ROSENMVELLERVS in *schol. ad Ies.* p. 966., quem potissimum in huius loci explicatione sequimur.

sisse, id autem sibi solatio esse dicit, quod Iehova de suo labore ac studio iudicaturus sit, a quo magni aestimetur, cuiusque tutela gaudeat (v. 4. 5.). Porro Iehova prophetam, a populo contemtum et reiectum atque a proceribus oppressum, ita consolatur, ut ei promittat, fore, ut aliquando reges auctoritatem eius venerabundi agnoscant. Similis plane est locus L, 4—10., ubi se a Deo esse edoctum, neque negotium, licet molestum, sibi datum detrectare, sed patienter omnes iniurias tolerare profitetur. Consolatur se iterum fiducia in Deo collocata, qui causam ipsius acturus sit, qua fiducia plenus adversarios in ius vocat[51]).

Sed quorsum haec omnia spectant? Fuitne Noster ita contemtus vexatusque, ut tali auctoritatis suae defensione opus esset? Videtur alienam potius, quam suam causam dicere, sicut etiam alienas partes agit. Scilicet probabile est, Nostrum, qui contra morem prophetarum Hebraeorum nomen suppressit, et magnificentius, quam ullus alius propheta, de se loquitur, haec oracula recepto alieno nomine edidisse. Minime tamen cum ROSENMVELLERO[52]) sumserim, scripsisse Nostrum sub Iesaiae nomine; hoc enim sibi nus-

---

51) ROSENMVELLERVS prophetam h. l. cum Mose conferri putat; quod unde colligi possit, equidem non video. Ad mare rubrum exsiccatum poëtam v. 2. respexisse valde dubium est.

52) *Schol. in Ies.* sect. III. praef. p. V.

quam tribuit. Quod vero opus eius libro Iesaiano adiectum est, id errore eius, qui hunc librum concinnavit, fieri potuit, neque quicquam probat. Neque omnino certi cuiusdam prophetae personam suscepisse Nostrum puto, quoniam eiusmodi fictionem ne verbo quidem prodidit; sed in universum prophetae cuiusdam antiqui partes mihi agere videtur, ita tamen, ut in illum omnia ea transferat, quae prophetis propria sunt. Hoc posito intelligitur, qui potuerit Noster dignitatem prophetae tantopere, ut vidimus, extollere (XLIX, 2. 6. 7.); intelligitur etiam, quid sibi velit vexationis et contumeliae, quas propheta sustineat, commemoratio. Sermo enim est de sorte prophetarum universa. Prophetae (verba sunt ROSENMVELLERI ad Ies. XLIX, 7.) ob austerum et singulare vitae genus morumque asperitatem, qui multum abhorrebant a ceterorum hominum consuetudine, plerisque contemtui erant. Quia vero praeterea vitia moresque seculi acriter perstringere solebant, regibusque magna severitate se opponebant, in odium offensionemque multorum, praecipue procerum et principum, irruerunt. Quam multis iniuriis iactatus fuerit Ieremias, vid. cap. II, 19. XII, 5. 6. XV, 10. XVIII, 18. sqq. XX. XXVI, 7. sqq. XXXII, 3. etc. A Manasse eo numero interfecti sunt prophetae, ut eorum sanguine publica civitatis loca redundarent 2 Regg. XXI, 16. coll. Ier.

II, 30. Porro de aliis vexationibus, quas prophetae pertulere, vid. Neh. IX, 29. 1 Reg. XVIII, 13. XIX, 10. 14. Matth. XXIII, 31. [53]). Voluit Noster veterum prophetarum, quorum quasi partes agebat, memoriam a contemtu popularium vindicare, simulque operi suo auctoritatem conciliare. Videtur ipse contemtu aequalium laborasse, id quod fortasse in causa fuit, cur alieno nomine haec oracula edere placeret [54]).

§. 10.

Eiusmodi apologiam prophetae, multo tamen magnificentiorem prioribus illis, quam apotheosin dicere possis, continet cap. LII, 13. — LIII, 12.

---

53) Si traditioni talmudicae fides habenda est, Iesaias, prophetarum princeps, Manasse rege supplicio adfectus est. Cf. Staeudlinius in *Gölting. Bibl.* Vol. I. p. 323. Carpzov. *Introd. in V. T.* P. III. p. 97 sqq.

54) Prophetam, quem fingit Noster, esse collectivum (ut aiunt), et quae de eo dicuntur, ad omnes prophetas referenda, docet locus LIX, 21., ubi Deus prophetam alloquitur: *spiritus meus*, inquiens, *qui in te est*, *et verba mea*, *quae tibi suggessi*, *non recedent ab ore tuo neque ab ore filiorum tuorum et eorum filiorum in omnia secula.* Explicari solent haec ita: memor sis verborum, quae spiritus mei afflatu protulisti etc. Melius ita explicanda: quae tu spiritus mei afflatu protulisti, ea ab omnibus seriorum temporum prophetis (qui sunt quasi filii illius prophetae) repetentur (ergo etiam ab eo, qui haec scribebat, propheta nostro personato). Cap. XLIV, 26. עבד יהוה aperte collective sumtum est, ut patet ex parallelo מלאכיו.

Minister Iehovae (עבדי cap. LII, 13.) idem est, qui cap. XLII, 1. XLIX, 3. 6. ita appellatur, propheta scilicet (sive prophetae). Loquitur Iehova. *En legatum meum*, inquit, *ministerio suo feliciter functum! extolletur magnamque consequetur gloriam. Quemadmodum eius adspectu obstupuerunt multi* (*tanta enim erat faciei omnisque habitus externi deformitas, quanta vix ullius alius hominis*)*: ita olim aliquando sacro horrore percellet gentes multas. Venerabundi coram eo obstupescent reges etc.* Quidnam in his verbis potest esse obscurum? Nonne eadem omnia, brevius tantum his verbis (XLIX, 7.) continentur: *Sic alloquitur Iehova redemtor Israelitarum, Deus eorum, spretum omnibus, contemtum genti, servum dominantium: reges videbunt et surgent et adorabunt, propter Iehovam, cui fidendum, propter venerandum Israelitarum numen, quod tibi favet.* Profecto nemini, vel artis interpretandi prorsus rudi, modo nulla praeconcepta opinione obcoecatus sit, ubi totam hanc libri Iesaiani partem attente perlegerit, verus horum versuum sensus nexusque dubius esse potest. Quae autem sequuntur cap. LIII., fere eadem, poëticis tantum coloribus ornata et exaggerata, exhibent, duplici tamen difficultate accedente: altera in eo est posita, quod persona, quam hactenus Noster sustinuit, iam quasi deposita, de vate illo vetere,

tamquam a se diverso, iam pridem mortuo et sepulto, loquitur. Poëtae scilicet Hebraei, quasi legum artis impatientes, quemadmodum concinniore verborum constructione soluti, ab altero in alterum constructionis genus transgredi amant (quam quidem syntaxeos Hebraeae proprietatem nondum satis Grammaticis observatam video): ita raro artificium poeticum, fictionem, et quae sunt eius generis alia, accurate observant et ad finem perducunt. Exemplo sint liber Deuteronomii et Ecclesiastis. Ille, sub nomine Mosis scriptus, Mosen non solum libro finem facientem eumque Levitis tradentem, sed etiam Israëlitis valedicentem et morientem exhibet: hic Salomonem loquentem inducit, qui tamen se ipsum mortuum dicit. Ita etiam Noster, fictionem suam male tuens, de prophetae, cuius personam susceperat, morte, sepultura et posteritate loquitur. Altera difficultas inde oritur, quod hic magis, quam prioribus locis, ea, quae prophetae tribuuntur, de prophetarum ordine intelligenda sunt.

Progreditur poëta cap. LIII. ad prophetae (sive potius prophetarum) tum miseram, tum quae hanc sequutura sit, feliciorem conditionem uberius describendam. Quam illi subeant fortunae vicissitudinem, ea tam incredibilis dictu est, ut exclamet his verbis: *Quis fidem habet nostrae annuntiationi? quis potentiam Iehovae* (quam scilicet

prophetis a contemtu et contumelia vindicandis monstrat) *animadvertit* [55])? Quae iam v. 2. et 3. sequuntur, nil nisi miseram prophetarum conditionem significant. Bene explicavit ROSENMVELLERVS imaginem v. 2. adhibitam, morbo autem et vulneribus mala calamitatesque intelligi, notum est [56]). Porro explicat poëta causam et finem malorum a prophetis toleratorum (v. 4—10.). Ut populi salutem promoverent, haec omnia perpessos dicit. Scilicet contemtum, invidiam et persecutionem popularium haud curantes, officio suo, quid verum rectumque sit, praedicandi et populum ad mores emendandos adhortandi intrepido et indefesso animo functi sunt, ita ut dici possit, illos pro salute publica se devovisse, et innocentes, populi peccatis obruti vice, poenas sustinuisse eiusque quasi expiationem fecisse. Prophetas re vera calamitatibus toleratis populo peccatorum veniam conciliasse, auctoris nostri sententia esse non potest, tum quod Hebraei, ut supra demonstravimus, eiusmodi superstitione non imbuti fuerunt,

---

55) Mihi equidem hoc versu poëta noster loqui videtur. ROSENMVELLERVS prophetarum ipsorum verba esse censet, quia illum ab his non distinguit. Minus bene alii Iehovam loqui pergere putant. Concinnior est oratio, si in hoc versu Nostrum nomine suo, in sequentibus autem populi nomine loqui accipimus.

56) Cf. *Comment. nostrum in Ps. VI.*

tum quod Noster ita liber est ab omni superstitione, ut sacrificia omnemque Dei cultum externum plane reiiciat (cap. LXVI, 1—3.). Quodnam autem discrimen intersit inter expiationem per pecudem et per hominem factam, equidem non intelligo. Qui illam spernit, eum hanc quoque reiiciat oportet. Fiduciâ enim in qualicunque expiatione positâ tollitur vel certe minuitur id, quod Noster cum prophetis omnibus in maximo pretio habet, scilicet pii animi sensus et probitatis studium. Tantum igitur abest, ut Noster prophetarum perpessionibus populi peccata deleta esse dicat, ut, cum illos innocentes pro nocentibus mala tolerasse dicit, populo culpam eo clarius ante oculos ponere velit [57]).

Iam pergit auctor ad laetissimos huius prophetarum constantiae fructus describendos (v. 10 sqq.). Prophetarum ordo in posterum in honore erit et aeternum florebit (יראה זרע יאריך ימים), Iehovaeque consilium per eum prospere succedet. Sapientia sua, in qua tradenda atrocissima pertulit, multos docebit et pios reddet (בדעתו יצדיק עבדי לרבים [58]). Idcirco exantlatis laboribus trium-

57) Video, omnes interpretes ipsumque Rosenmvellervm haec proprio sensu sumsisse. Posuerunt, illam opinionem Hebraeis fuisse, sed non probarunt; id quod haud raro fieri solet.

58) בדעתו multi interpretes ad יראה referunt, accentu

phum quasi aget victoriaeque praemia reportabit (שלל — — לכן)[59].

Sponte vident lectores, me in summa rei Rosenmvelleri, praestantissimi interpretis, explicationem sequutum esse, ad quem eos delego, qui plura de hac re legere cupiant[60]. Possit etiam Staevdlinii coniectura[61] ita cum nostra explicatione coniungi, ut statuatur, auctorem in describendis prophetarum fatis Iesaiae potissimum rationem habuisse.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, satis apparere speramus, Hebraeis non solum opinionem de Messia, passione et morte sua populi peccata expiaturo, sed etiam expiationis hominis

---

repugnante. Recte Storrivs al. יראה ad זרע referunt, et ברעתו ad יצדיק.

59) Quae verba non, ut in more est, vertenda sunt: *potentes ei sorte tribuam, validos distribuet praedam*, cuius sensus esse dicitur: reges inter suos cultores numerabit; sed cum Gesenio ita accipienda: *sortem ei assignabo inter potentes, cum validis distribuet praedam*, cuius sensus est: amplissimos assequetur honores. Durior est imago: potentes tamquam praedam distribuet. Utut est, recte Bavervs monet, haec in applicatione non nimis urgenda, sed in imagine victoris subsistendum esse.

60) Proposuit hanc explicationem in tractatu singulari: *Leiden und Hoffnungen der Propheten* in Gableri *Neuest. theol. Iourn.* Vol. II. part. 4.

61) Quam proposuit in libro: *Neue Beiträge zur Erläuterung der bibl. Propheten* p. 3. sqq. et in *Götting. Bibl.* Vol. I. part. 5.

morte faciendae notionem prorsus incognitam fuisse. Quare ex V. T. libris seriores Iudaei illam opinionem, si tenent, haurire non potuerunt.

SECTIO POSTERIOR.

Num Iudaei Iesu et Apostolorum aetate eiusmodi Messiam exspectaverint, qui passione ac morte populi peccata expiaturus esset.

CAPUT I.

De fontibus, unde hauriendum sit.

§. 11.

Priusquam in notiones seriorum Iudaeorum de Messia eiusque negotio expiatorio inquiramus, de fontibus, unde hauriendae sint, videndum est. Primo loco haud dubie nominandi sunt *N. T. libri*, tum ob temporis, quo scripti sunt, rationem, tum ob eorum, quae de opinionibus Iudaeorum illius temporis referunt, gravitatem fidemque. Etenim cum fere omnia huius generis a doctrina christiana aliena, imo ei opposita sint, non est locus suspicioni, ea esse a scriptoribus Christianis mutata atque interpolata. *Libri* V. T. *Apocryphi*, qui serioris Iudaeorum theologiae primarii sunt fontes, quemadmodum Messiae eiusque regni nullam pror-

sus mentionem faciunt [62]): ita etiam dogmatis de Messiae morte expiatoria ne leve quidem vestigium exhibent. Nam sub iusto illo, libro Sap. c. II. memorato, in quem improbi persecutionem machinari dicuntur, populum Israeliticum, non autem Messiam, intelligi dubio caret [63]). PHILO et Io-

---

62) Qui eos obiter tantum oculis percurrerit, neque Messiam sive Christum, neque eius regnum memorari inveniet. In locis 1 Macc. XIV, 41. et IV, 46. Messiae mentionem non fieri, docuit BRETSCHNEIDERVS (*Dogmatik und Moral der Apocryphen* T. I. p. 344 sq.) contra GROTIVM, BAVERVM (*Theol. des A. T.* p. 409.) et AMMONIVM (*Bibl. Theol.* T. II. p. 221. 227.). Subsistunt hi scriptores in simplici futurae felicitatis spe, nec quicquam de auctore docent; qua in re cum quibusdam prophetis (v. c. cum Ioële, Hosea, Zephania, Malachia, Haggaeo, Pseudo-Iesaia cap. 40—66.) consentiunt. Mirum, quod in hoc silentio antiquiores et seriores Iudaeorum scriptores conveniunt, cum prophetae medii aevi Messiae filii Davidis disertam mentionem faciant. Quod antiquiores attinet, facile intelligitur, cur de futurae felicitatis auctore sileant. Haec enim exspectatio, ab initio generalis et indefinita, successu temporis magis magisque exculta et definita est. Quid autem seriores prophetae et scriptores, postquam Messiae spes inducta erat, eo redeunt, quo priores substiterant? Digna est, quae examinetur STAHLII (*Von den messianischen Zeiten* in EICHHORNII *Allg. Bibl.* Vol. VI. part. IV. p. 682.) sententia, seriores prophetas theocratiae antiquae formam restitui maluisse, quam regnum Davidicum, cui tamen obstat, quod Zacharias de Messia filio Davidis vaticinatus est. Add. FLECK. *de regno div.* p. 37—39.

63) GROTIVS hunc locum de Messia explicavit, ac verba eius haec sunt ad Sap. II, 13.: *Hoc et sequentia ita possunt generaliter intelligi, ut tamen in Iesum Christum specialiter*

sephvs de Messia etiam tacent: ille, quia sublimiores de futura aurea aetate ideas mente conceperat, quam reliqui Iudaei [64]): hic, sive quod vereretur, ne hac exspectatione commemoranda offenderet Romanos, Iudaeosque seditionis faceret suspectos, sive quod post tantam populi et urbis calamitatem omnem futurae et potentiae et felicitatis spem abiecisset [65]). *Quartus liber Esrae*, cuius praecipuus est usus ad cognoscendas seriorum Iudaeorum de Messia eiusque regno imagines, cum ab aliquo Iudaeo paulo post Hierosolyma expugnata scriptus esse videatur [66]), totus versatur in describendis Messiae, populum Iudaicum a potestate gentium liberaturi, victoriis miraculisque, nec

---

directa videri possint. Idem suspicatus est, Christianum aliquem, qui hunc librum Graece verterit, Christiana quaedam commodis locis addidisse, eam quidem ob causam, quia locutiones quaedam magis Evangelium sapiant, quam vetustiora tempora; quae quidem in nostrum potissimum locum dicta esse videntur. Iam vero et interpretationem et suspicionem bene refutaverunt Eichhornivs (*Einleit. in d. Apocryph.* p. 129 sqq.) et Bretschneidervs l. l. p. 355.

64) Vid. Stahlii *Philo's Lehrbegriff* in Eichh. *Bibl.* T. IV. p. 850 sqq. Schmidtii *Christol. Fragm.* p. 8 sqq. Bertholdtii *Christol.* p. 16 sqq. v. Fleck. l. c. p. 39—41.

65) Vid. Bretschneideri *Diss. capita theol. Iudaeorum dogmaticae e Flavii Iosephi scriptis collecta* p. 36.

66) Ita statuunt Corrodivs (*Krit. Gesch. des Chiliasm.* T. I. p. 181.) et Bretschneidervs (*Das Messiasreich nach dem 4. Buch Esra* in Henkii *Museum* Vol. III. p. 479.). Cf. Fabric. *Codex Pseudepigraphus V. T.* Vol. II. p. 174.

quicquam de eius morte expiatoria continet. Mortem quidem Messiae memorat, non autem eam, qua populi peccata expiaturus sit, sed quae, finito regno mille (sive potius quadringentorum annorum) cum omnium hominum morte novum mundum et resurrectionem mortuorum antecessura sit (cap. VII, 28. 29.) [67]).

Restant igitur praeter N. T. libros soli Iudaeorum *scriptores talmudici*, *cabbalistici*, *targumici* et *rabbinici*, quos de Messiae patientis idea consulere possimus. In horum autem usu maior adhibenda est cautio, quam hactenus a viris doctis adhibitam esse video: quare ante omnia videamus oportet, quae eorum sit in rebus ad aetatem Iesu Christi pertinentibus auctoritas fidesque.

§. 12.

Quod ad aetatem scriptorum Iudaicorum attinet, ex qua potissimum eorum auctoritas aestimari debet, ea tam recens est, ut de temporibus

---

67) Verba: *et morietur filius meus Christus* desunt in versione huius libri Arabica, unde colligi possit, ea esse addita a Christiano aliquo, qui ob antecedens Messiae nomen *Iesus* de suae religionis conditore sermonem esse arbitratus sit. Recte autem observat Bretschneidervs l. l. p. 481. utrumque nomen ab auctore ipso potuisse usurpari, cum *Christus* Messiam, *Iesus* servatorem significet, qualem alias omnino Messiam nomine *salutare* (σωτηριον q. ישוע) appellat.

Iesu Christi idoneum praebere testimonium non possint. Antiquior *Talmudis* pars, quae *Mischna* dicitur, ex communi doctorum Iudaicorum sententia collecta est anno ab excidio templi et urbis 120 vel 150, qui respondet A. C. 190 vel 220 [68]). Cum ea haud dubie antiquorum doctorum sententias atque traditiones complectatur, quae proxime accedunt ad Iesu et Apostolorum aetatem: non est, quod ei omnem fidem in rebus ad illa tempora pertinentibus denegemus. Sed de Messia unus tantum in Mischna locus est Tr. *Sota* c. IX. §. 15., ubi nihil de eius morte invenitur; illius igitur in nostra re nullus usus erit. Altera Talmudis pars, *Gemara* dicta, sive Commentarius in textum Mischnicum, multo serioris aetatis est. Quae pro antiquiore habetur, *Hierosolymitana* Gemara, ex vulgari doctorum sententia a R. IOCHANAN, academiae Hierosolymitanae rectore, collecta est A. C. 230 vel 270; alii, nominatim MOSES MAIMONIDES, ABARBANEL, ELIAS LEVITA, integro seculo eam faciunt recentiorem, quibuscum concinit fere LIGHTFOOTVS [69]), qui plura eius loca attulit, in quibus Diocletiani et regis Saporis mentio fit [70]).

---

68) Vid. WOLFII *Biblioth. Hebr.* P. II. p. 674. Io. MORINI sententia, qui Mischnae seriorem aetatem assignat, ibidem refutatur p. 675. sqq.

69) In *Centur. choragr.* Matthaeo praemissa c. LXXXI.

70) Recentior Gemara ista visa est MARSHAMO in *Can.*

Gemarae *Babylonicae* initia referunt ad R. Aschi, academiae Soranae in Babylonia rectorem, qui sec. V. ineunte floruit; finem vero ei imposuisse dicitur sec. VI. initio R. Iose, qui scholae Pumbedithanae praefuit. Sed hanc quoque ad serius tempus referendam, aut recentioribus saltem accessionibus auctam esse, ex quibusdam locis, recentiorum rerum mentionem facientibus, apparet [71]). Continet quidem utraque Gemara plura antiquiora, aetatem collectionis excedentia; haec tamen ita mixta sunt rocentioribus, ut nova a veteribus vix distingui queant. Neque enim quae memorari solent, nomina eorum, a quibus singulae sententiae profectae dicuntur, certa semper esse videntur. Haec nomina potuisse inter se confundi et recentioris Rabbini sententiam antiquiori cuidam tribui, non erit dubium ei, qui rependerit, Talmudistas in rebus historicis saepe errare, praecipue in rationes temporum impingere, easque vel ignorantia, vel consilio turbare [72]).

Chron. p. 159., qui ad sec. V. eam pertinere censuit. I. Morinus verba, quae Gothicam barbariem sapiunt, et *Turcarum* nomen deprehendit, unde eam ad sec. VII. retulit: a Wolfio (l. l. p. 684.) refutatus.

71) Morinus eius aetatem ducentis prope annis inferiorem esse contendit ea, quae ei vulgo assignatur, ibid. refutatus p. 686. sqq.

72) Vid. Io. Morini *Exercitt. Bibl.* L. II. exercit. II. c. 3.

Quod ad librum *Sohar* attinet, sublimioris Christologiae Iudaeorum praecipuum fontem, qui R. SIMEONI fil. IOCHAI tribuitur, eius origo et aetas admodum incerta est. Non libet repetere, quae de hac re in utramque partem disputata sunt [73]). Ea tantum in memoriam revocare liceat, quae antiquitatis huius libri adversariis manifesto concedenda, et a BRVCKERO, aequo huius litis iudice, concessa sunt, quia ab iis, qui hoc libro ad illustrandam Christologiam usi sunt, neglecta esse videntur.

Certum est, librum Sohar ante seculum post C. N. XIII. non innotuisse inter Iudaeos, qui eius

---

p. 253. WOLF. *Bibl. Hebr.* P. II. p. 1095. coll. 981. PAVLVS *Comment. üb. d. N. T.* T. I. p. 282.

73) Antiquitatem huius libri in dubium vocarunt Io. MORIN. l. l. L. II. exercit. IX. c. 5. 6. L. CAPELLVS in *Arcan. punct. revel.* L. II. c. 3. p. 193. BASNAGE *Hist. des Juifs* L. III. c. 10. p. 285. BVXTORF. *de Abbrev. Hebr.* s. v. ר׳שבי. BR. WALTON. *Proleg.* III. p. 52. aliique, quos laudat WOLF. *Bibl. Hebr.* T. I. p. 1137. Quorum obiectionibus obviam iverunt Io. BVXTORF. fil. *De orig. et ant. punctorum* p. 71 sqq. ROSENROTHIVS in praef. ad T. II. *Cabbalae denudatae.* I. FR. BVDDEVS *Observatt. select. Halens.* T. I. p. 208. sq. et in *Introd. ad Hist. Phil. Hebr.* p. 108. NICOL. LVETKENS in peculiari dissert. *de libro Sohar*, quam laudat SOMMERVS in *Specim. theol. Soharicae* p. 10., qui ipse etiam libri illius antiquitatem defendit. Litem componere studuerunt, mediam ingressi viam, WOLFIVS l. l. p. 1134. et BRVCKERVS *Hist. crit. phil.* T. II. p. 840 sqq.

post R. Mosen Bar Nachman et R. Aser demum mentionem faciunt, quibus doctoribus eum visum memoratumque non esse testantur libri *Iuchasin* et *Schalscheleth* 74). Qui tamen posterior alio loco tradit, *dicere nonnullos, R. Mosen filium Nachmanis istum librum invenisse in terra Israelis, et misisse in Cataloniam, postquam ivisset in Arragoniam, et incidisse eum in manus R. Mosis de Leon; dicere etiam quosdam, hunc R. Mosen de Leon, qui sapiens fuerit et doctus, has interpretationes fecisse ex ingenio suo, et quod multam ex iis mercedem acciperet a sapientibus, illis imposuisse et nomen R. Simeonis Iochaidis atque sodalitii eius inscripsisse; atque id quidem fecisse, quod pauper fuerit et afflictus.* Subiungunt idem statim: *Huc usque liber Iuchasin, qui prolixius de eadem re agit, sed ego credo, rem vanam esse; id autem verum, quod R. Simeon fil. Iochai et societas eius sancta verba haec et plura alia protulerit; fieri tamen potest, ut ipsorum aetate literis non sint consig-*

---

74) Mortuus est R. Aser A. C. 1248., teste libro *Iuchasin.* Circa haec tempora prodiit liber similis argumenti et similis stili in Chaldaico sermonis genere מערכת האלהות, cuius auctor habetur R. Peretz, teste *Schalcheleth hakkabala* fol. 55. Unde suspicio possit esse, ex materiae et stili similitudine, et Zohar tunc factum. Verba Bvxtorfii *de Abbr.* p. 193.

nata et in ordinem redacta, sed potius in quaternionibus dispersa et successu temporis coniuncta [75]). R. Abraham Zachvt, auctor libri *Iuchasin*, non R. Simeoni, sed filio (qui in *Bereschith Rabba* sect. 79. vocatur Elieser), filii discipulis et discipulorum filiis hunc librum adscribit (fol. 42.). Et fol. 52. de libro, qui vocatur *Pirke*, i. e. capitula R. Eliesaris sic scribit: *Iam notum est, quod etiamsi iste liber* (Pirke) *cognomen habeat R. Eliesaris, posteriores tamen fecerunt capita eius, ut liber Zohar cognomen habet R. Simeonis. Sic et liber Ietzira nomen habet Abrahami, patriarchae nostri* [76]). Addit Bvxtorfivs: *Si a discipulis profectus est, quanta annorum serie, aut quot seculorum connexione illi telam istam pertexuerunt, sicut ad mille usque annos incognitus fuerit.* Accedunt haud levia argumenta ex libri indole petita: linguae Chaldaicae usus ea, qua auctor libri vixisse creditur, aetate doctis, ut exemplo Mischnae Hebraice scriptae constat, non receptus; copia vocum barbararum, quam ex Targum Ionathanis et Hieros. ut et e Rabboth et Midraschim putant repetitam; vox תַּרְגּוּם de lingua Chaldaica, quae no-

---

75) Vid. Wolfivm l. l. p. 1135. Brvckervm l. l. p. 840 sq.

76) Vid. Bvxtorfivm l. l. p. 192 sq.

tio aetate paraphrasium Chaldaicarum est inferior, usurpata; punctorum vocalium, de quorum recentiore origine fere constat, nominumque eorum mentio facta, al. Ex quibus omnibus recte nascitur suspicio, librum Sohar, nisi sit prorsus suppositus et post seculum demum a C. N. X. fictus, tamen a R. Simeone non esse scriptum, sed fortassis enatum ex iis, quae discipuli ex ore eius exceperant, diversissima autem placita et meditationes succedente tempore esse adiectas, cum a diversis auctoribus semper aliquid adderetur; unde factum, ut multa sequioris temporis vestigia in eo deprehendantur; tandem vero librum vel collectionem potius istam Cabbalisticam in eam formam sequiori tempore coaluisse, qua nunc circumfertur, et tunc quoque illa accessisse, quae non nisi a recentiori manu potuerint adiici [77]. Nihil frequentius apud Iudaeos, quam libros recentes sub veterum nominibus publicare, ut iis auctoritas concilietur, quod ait idem R. ABRAHAM ZACHVT; interpolare etiam et quaedam pro libidine inserere eis solenne esse, omnes norunt [78]. Quam ob rem si haec eius libri ratio est, non potest is, qui caute et circumspecte in antiquam Iudaeorum Christologiam vult inquirere, eo tamquam fonte uti;

---

77) Quae est BRVCKERI sententia l. l. p. 843.

78) Vid. WALTON l. l. p. 257. ed. Tig.

facile enim ei accidere possit in eiusmodi libri usu, ut nova pro antiquis sumat.

Paraphrases chaldaicas, exceptis iis, quas ONKELOSO et IONATHANI tribuere solent, recentissimas esse, non est quod moneamus. BERTHOLDTVS quidem non solum illas, sed etiam omnes reliquas paraphrases ex antiquioribus et aevo apostolico haud inferioribus lectionibus synagogalibus conflatas esse contendit [79]; quod tamen vel ideo probari non potest, quia tum stilo, tum interpretandi genere, valde inter se differunt. Attamen Targum ONKELOSI et IONATHANIS ad antiquissima fere Iudaeorum scripta referri posse haud negaverim.

Compilationes denique illae, quarum magna apud Iudaeos copia exstat, quales sunt *Rabboth*, *Midraschim*, *Nezach Israel*, *Ialkut Schimeoni*, al., vel recentioris temporis sunt, vel, si antiquiores, sequiori tempore interpolatae videntur, ita ut difficillimum sit, antiqua a novis certo distinguere [80].

§. 13.

At obiiciunt nobis illorum librorum patroni,

---

79) *Christol.* p. 158.

80) Cf. CORRODI *Krit. Gesch. des Chil.* T. I. p. 11. Vid. universe de usu horum librorum in rebus chr. FLECK *de regno div.* p. 61 sq.

Iudaeos, patriarum rerum amantissimos Rabbinisque dicto obedientes, antiquam doctrinam tam fideliter servasse, ut, quae nunc doceant, ea vel a maioribus accepta vel saltim ex antiquis nata, nec aliunde adscita esse, certum sit. Posse igitur ex sequioris aetatis libris pristinam Iudaeorum disciplinam hauriri, ea tamen cautione adhibita, ut nova ab antiquis dignoscantur. Negari omnino non potest, antiqua multa in doctrina recentiorum Iudaeorum superesse; verum etiam concedendum est, aliena multa ab iis adscita, et antiquae doctrinae addita esse. Notum est, eos inde ab exilio Babylonico ab iis populis, cum quibus commercium habebant, Chaldaeis potissimum et Graecis, didicisse, et doctrinam suam illorum placitis adulterasse [81]). Ex his fontibus derivanda sunt gravissima theologiae seriorum Iudaeorum decreta, ex. gr. de daemonibus, de resurrectione mortuorum, omnisque eorum philosophia sublimior, quam Cabbalam dicunt. Iam vero si a populis sibi tam infestis et odiosis, a quibus tot tantisque iniuriis contumeliisque affecti erant, quorum religio omnisque disciplina a sua tantum abhorrebat, discere haud aspernati sunt: quidni

81) Cf. Poelitzii Diss. *de gravissimis theologiae seriorum Iudaeorum decretis* et *Eiusdem Pragmat. Uebersicht der Theologie der spätern Iuden.*

a Christianis etiam, qui, licet non ab omni in Iudaeos violentia abstinuerint, tamen nunquam ea saevitia, qua Chaldaei et Syro-Macedones, in eos grassati sunt, quorumque doctrina Iudaismo coniunctissima ex eoque orta est, ea adsciverint, quibus doctrinam suam emendare, ornare atque augere possent? Probe equidem scio, acri semper Iudaeos in Christianos odio flagrasse, et cum iis de rebus ad religionem pertinentibus controversiam habuisse; hoc autem non obstat, quominus Iudaei, callide rebus suis consulere soliti, ab adversariis meliora edoctis ea arripuerint, quibus religio Iudaica non sine detrimento careret. Qui inter se disputant, se invicem edocent, quamvis in ipso disputationis aestu suam quisque sententiam firmiter teneat; necesse autem est, ut is, qui se ab altero superari intelligentia sentiat, illum adsequi et aequare studeat. Idem accidisse videtur in Iudaeorum et Christianorum mutua contentione. Neque prorsus desunt argumenta, quibus id comprobari queat; et qui versatiores sunt in huius generis litteris, facile plura invenient, si in hanc rem accuratius inquisiverint, quod ut faciant, hortor.

Ac primo cum aliis viris doctis [82]) persuasum habeo, baptismum Proselytorum seriori demum

82) Negarunt baptismi Proselytorum antiquitatem inter recentiores Ernestius *Vindic. arbitr. div. in relig. constituen-*

tempore Iudaeos induxisse, et vel a Christianis mutuo petiisse, vel ad baptismi Christiani imitationem tamquam principalem et necessarium initiationis ritum instituisse, cum antea quidem Proselytis, sicut omnibus, qui impuri haberentur, lustratio subeunda esset, haec autem non ad ipsam initiationem pertineret. Argumenta, quibus haec sententia probatur, praecipua haec sunt [83]).

Constans vetustiorum Iudaicorum monumentorum silentium, quo Proselytorum baptismum praetereunt, novitatem eius arguit. Nullum eius vestigium apparet apud PHILONEM et IOSEPHVM [84]), nullum in IONATHANIS, ONKELOSI ceterisque paraphrasibus Chaldaicis, nullum in *Mischna*. In iis locis, in quibus eius mentio fieri videtur, sermo est de lustratione impuro cuique necessaria; certe ni-

---

da §. 49. *Opusc. theol.* p. 255 sqq.; imprimis PAVLVS *Comment.* T. I. p. 279 sqq. BAVERVS *Gottesdienstl. Verfassung* T. II. p. 393. et *Bibl. Theol. d. N. T.* T. I. p. 276 sqq.; antiquiores, inter quos eminent Io. OWENVS, GOTTL. WERNSDORFIVS, ZELTNERVS, recenset CARPZOVIVS in *Appar.* p. 47 sq., qui et ipse huic sententiae adstipulatur. Antiquitatem huius ritus amplissimo doctrinae apparatu contra WERNSDORFIVS adstruere elaboravit DANZIVS, in duplici dissert., quae exstat in MEVSCHENII *N. T. ex Talmud. illustrat.* p. 233 sqq. et 287 sqq. Ernestio et Paulo nuper se opposuerunt IAHNIVS *Bibl. Archaeol.* Part. III. p. 219. et KVINOELIVS in *Comment. in Matth.* p. 70.

83) Sequimur hac in re potissimum PAVLVM et BAVERVM.

84) Vid. ERNESTIVS l. l. p. 56.

hil cogit de baptismo initiationis cogitare. Ita interpretari licet locum in Tr. *Pesachim* c. VIII. §. 8., ubi ambigitur inter Schammaeanos et Hillelianos, utrum Proselytus, postquam baptizatus (sive lavatus) sit, Pascha edere possit, nec ne [85]. Similis locus in Targ. *Pseudo-Ionathanis* ad Exod. XII, 44. *circumcides eum et baptizabis* (lavabis) *eum.* Obiicit KVINOELIVS, e silentio scriptoris nihil colligi posse. Recte quidem, si de re aliunde probabili, neque necessario memoranda, unus vel alter scriptor silet; si autem tot scriptores de re dubia, cuius mentionem fieri oportebat, prorsus silent, iure efficitur, eam illorum tempore nondum exstitisse. Sola Gemara baptismi diserte mentionem facit. In Tr. *Ievam.* f. 46. c. 2. [86]) disputant R. ELIESER fil. HIRCANI et R. IOSVA fil. CHANANIAE de baptismi necessitate; uterque autem tempore excidii Hierosolymorum vixisse fertur. Quo testimonio nihil probatur, nisi baptismum proselytorum non multo post destructionem templi et urbis introductum esse; id quod

---

85) Locus ita habet: גר שנתגייר ערב פסחי בית שמאי אומרים טובל ואוכל את פסחי לערב ובית הלל אומרים הפורש מן הערלה כפורש מן הקבר. *De Proselyto, qui Proselytus factus est vespere Paschatis, dicunt Schammaeani, baptizatus (lavatus) edat Pascha vespere, Hilleliani autem dicunt, qui separat se a praeputio, est, ut qui separat se a sepulcro.*

86) Apud DANZIVM l. l. p. 267. in not. †.

omnino verosimile est[87]). Quod in Talmude Hierosolymitano Tr. *Pesach.* f. 36. c. 2. legitur de militibus Romanis, custodiam Hierosolymis agitantibus, qui vespere Paschatis baptizati agnum paschalem ederint, id de illo *καθαρισμῳ* intelligi potest, de quo locum Mischnicum supra allatum intelleximus, ad quem illustrandum doctores Gemarici illud afferunt. Quod in Tr. *Cherithuth* fol. 9. c. 1. et *Avoda sara* fol. 57, c. 1., ubi sermo est de gentilibus rite initiandis, praeter circumcisionem memorantur sacrificium et baptismus, inde colligit KVINOELIVS, baptismum Proselytorum in usu fuisse ante templi Hierosolymitani destructionem, quod sacrificia offerri potuerint tantum stante adhuc templo. At enimvero cum Iudaei nunquam non spem aluerint in patriam revertendi, et templum restituendi: non potuerunt, quin inter ritus initiationis sacrificium etiam numerarent, licet tunc offerri illud non posset. Locus apud ARRIAN. *Diss. Epict.* II, 9., ad quem DANZIVS, KVINOELIVS al. provocant, obscurior est, quam ut ex eo aliquid certi colligi possit[88]). Versio denique

87) Illo ipso tempore Rabbinos multa induxisse, quae antea non in more fuerint, dicit PAVLVS (l. l. p. 282.); haec nominare non placuit viro doctissimo.

88) Ὁ βεβαμμενος, quem DANZIVS Proselytum intelligit, Iudaeum potius denotat. Vid. PAVLVM l. l. p. 283. De Iudaeo Christiano hanc vocem cum BAVERO haud explicuerim.

Aethiopica, cuius testimonium affert KVINOELIVS, etiamsi perantiquam eam esse largiamur, tamen in rebus, ad aetatem Iesu pertinentibus, nullam habet auctoritatem.

Deinde iam pridem docti viri haud pauci [89]) contenderunt, Talmudistas aliosque scriptores Iudaicos quaedam esse mutuatos a Christo, sive quod nonnulli aequales, sermonibus eius capti, clanculum eius effata in schedulas retulerint, quibus compilatores Gemarae usi sint, sive quod illi consarcinatores Novi Foederis tabulas, curiositate ducti, pervolutarint, et quae placerent, sua fecerint. Negari sane nequit, legi nonnulla in Talmude, quae parabolis a Iesu propositis valde similia sunt. In Tr. *Berachoth* fol. 31. c. 2. occurrunt quaedam, Iesu parabolae de divite epulone

---

Nec quicquam probat locus TACIT. *Hist.* V, 5., ubi eos, qui in morem Iudaeorum transgrediantur, *imbutos* dicit; id enim de quolibet initiationis ritu intelligi potest.

89) Quos recenset WOLFIVS *Bibl. Hebr.* P. II. p. 978., qui ipse hanc sententiam probat. Cf. FABRICIVS *Bibliogr. antiq.* p. 10. ed. *Schassh.* In hanc sententiam discessit quoque KEILIVS, qui in *hist. dogm. de regno Messiae Christi et Apostolorum aetate* libris talmudicis reliquisque tamquam fontibus huius historiae uti hac de causa veritus est p. 6. Idem suspicatus est, Iudaeos seriores aeternae vitae notionem ex Christianorum commercio hausisse p. 13. Contraria tamen idem statuit in *Analectis* a se et TZSCHIRNERO editis Partic. I. p. 81. in not. Iudaeos dogmata christiana adscivisse contendit BAVERVS *Gottesdienstl. Verf.* T. II. p. 393.

similia; alia in eodem Tract. Gem. Hieros. fol. 5. c. 3., quae parabolae de operariis in vineam conductis respondent; alia in Tr. *Schabbath* fol. 153. c. 1., quae parabolam de virginibus prudentibus et fatuis referunt [90]). Ambigitur autem, utrum Iesus ex traditione Iudaica ea hauserit, an Iudaei ab eo mutuo sumserint. Nostrum facimus hac de re CLERICI [91]) iudicium, cuius haec sunt verba: *Non dubitarim quidem, quin Christus adhibeat passim proverbia et locutiones ex vulgari usu petitas; sed integras parabolas aut* ῥησεις *non crediderim. Non videtur esse* θεοδιδακτου (infra ponit αὐτοδιδακτου) *doctoris, vulgatas parabolas quasi suas audientibus proponere. Ac sane non constat ullum, ante Christi tempora, iis esse usum; nam quae proferuntur ex Talmudicis aut aliis Iudaeis scriptoribus, ea omnia aliquot seculis post Christum natum scripta sunt. Exempli causa parabola de patrefamilias exstat in Hierosolymitana Gemara, quae sesquiseculo minimum post templi excidium conscripta est* [92]). *Quod cum ita sit, mihi multo credibilius est,*

---

90) Repetunt Talmudica illa OTTO in *Gali Razia* c. XIII. LIGHTFOOT. ad *Matth.* XX. ROB. SHERINGHAMIVS in praef. ad *Cod. Ioma* et Io. VORSTIVS in *Philol. s.* c. 4. p. 141.

91) In not. ad HAMMOND. paraphr. in Matth. XX, 15.

92) CLERICVS hanc Gemaram integro seculo censet antiquiorem, quam ipsa Iudaeorum traditio.

auctorem Hierosolymitanae Gemarae, aut qui illic narratur ea parabola usus, imitatum esse Christum, quam ex veteri traditione eam parabolam hausisse. Idem de multis aliis dixerim, ut de eo quod ex libro Musar proferunt viri docti ad Matth. XVIII, 17. *deque parabola simili ei, quae infra cap. XXV,* 1. *et sqq. etc.* Hanc de operariis in vineam conductis parabolam non ex traditione Iudaica esse haustam, vel inde patet, quod plane contortam et adulteratam eam exhibet Hieros. Gemara. Voluit Iesus ista parabola falsam in opera praestita fiduciam positam evertere, docens, debere hominem omnia gratiae divinae, non suo merito. Talmudica parabola hanc falsam fiduciam confirmat; quod enim is, qui non nisi per duas horas laborasset, aequalem cum ceteris mercedem acceperit, eius rei redditur haec ratio: *Laboravit ille plus duabus horis, quam vos toto die.* Neque existimandum sane est, ait Wolfivs l. l., odium immane, quo Iudaei in Christum et res ac scripta Christianorum ferri se semper demonstrarunt, prohibuisse, quominus quicquam, quod illorum esset, vel legerent, vel usurparent. Nam eis id nefandum aut ignominiosum non videri vel hoc tempore, quo Christianis magis sunt obnoxii, adeoque non minus infensi, quam olim, recentiorum Iudaeorum exemplo constat. Vide quae ex Menasse ben Israel huc affert

Schvdtivs in *Memor. Iud.* P. I. c. 16. p. 526 sqq. Quanta diligentia Rabbini non solum Gentilium, sed Christianorum etiam libros legerint, docet R. Asaria in libro *Meor Enajim*, in quo multa loca Origenis, Hieronymi et Avgvstini deprehenduntur.

Alia furtim surrepta a Iudaeis ex evangeliis deprehendisse sibi visus est Lightfootvs [93]). Equidem ad id genus etiam retulerim precandi illas formulas, Iudaeis usitatas, quae in sententiis et phrasibus cum oratione Dominica concinunt [94]). Fuerunt, qui hanc precationem ex illis formulis totam compositam esse, contenderint [95]); aliis Iesus haud imprudenter ad ea, quibus Iudaei et eius discipuli adsueti fuissent, respexisse visus est [96]). Mihi vero neutra haec sententia probari potest, et quidem hac de causa. Quemadmodum vere pius non formulis usitatis, sed verbis, quae pii animi sensus suppeditat, melius etiam tacita mentis cogitatione, precari solet: ita Iesum Christum nec ipsum eiusmodi formulis usum fuisse, nec discipulis eas praescripsisse statuamus oportet, nisi ei veram

---

93) In *Miscell.* c. XX. Opp. T. I. p. 205.

94) Vide eas collectas apud Lightfootvm, Schoettgenivm, Wetstenivm, Witsivm (in *exercitt. ss.* exercit. VI. *de orat. Domin.* §. 32 — 36.), Vitringam (*de synagog. vet.* p. 962.), Ammonivm (*Bibl. Theol.* T. II. p. 333.).

95) Vid. Wolfivm et Koecchervm ad Matth. VI, 9.

96) Vid. Kvinoelivm ad h. l.

pietatem veraeque pietatis sensum abiudicare velimus. Atque recte statuerunt plerique interpretes 97), Iesum non tam formulam quandam praescribere voluisse, quam potiora enumerare, quae sectatoribus suis a Deo efflagitanda essent. Cuius consilii ratio postulavit, ut a formulis tritis, quae animum a sua ipsius cogitatione et sensu abstrahere possent, prorsus sibi caveret. Sic pleraque Iesu effata, quorum similia in Talmude et scriptis Rabbinicis inveniuntur, ipsi vindicare nullus dubito, ex. gr. Matth. VIII, 37. coll. *Pirke Avoth.* c. II. §. 15. Matth. VII, 12. coll. Tr. *Schabbath* f. 31. c. 1. 98); Matth. XVIII, 20. coll. *Pirke Av.* c. III. §. 2. Alia eiusmodi passim occurrunt apud LIGHTFOOTVM, SCHOETTGENIVM, MAIVM 99). Eodem loco habeam, quae de iudicio extremo leguntur in Gemara ad Cod. *Avoda sara*, iis, quae de hac re dixisse traditur Christus Matth. XXV.

---

97) Ut NOESSELTVS in *Observatt. ad orat. Domin.*, quae insertae sunt eiusdem *Exercitt. ss.* p. 41., PAVLVS, al.

98) Tribuitur quidem hoc dictum HILLELI, qui multis annis ante Christum floruit (obitus eius ad annum Christi duodecimum aut decimum tertium refertur, vid. OTTONIS *Hist. Doct. Mischn.* p. 79.); sed inclito illi magistro seriore tempore aliquid facile tribui potuit, quod ei nunquam in mentem venerat; praesertim cum alii etiam Rabbini hoc nomine usi sint. Vid. WOLFII *Bibl. Hebr.* P. II. p. 824. sqq.

99) In *Observatt. ss.* L. II. p. 210. Cf. etiam *Beiträge zur Beförd. d. vernünft. Denkens in d. Relig.* fasc. V. p. 90 sqq.

plane similia [100]). Suspicio etiam est, formulas *regnum Dei* et *regnum Coelorum*, a Christo inventas, Iudaeos arripuisse [101]).

§. 14.

Quae modo contra scriptorum Iudaicorum auctoritatem protulimus, ea etiamsi non omnia viris doctis probaverimus: tamen nullum fore putamus, quin in illorum cum N. T. libris comparatione instituenda summa cautione opus esse concedat. Quod cum sentirent SCHMIDTIVS et BERTHOLDTVS, duumviri de Christologia Christiana ex Iudaica illustranda inter nos optime meriti, regulas scripserunt, ad quas antiquitatis decretorum Iudaicorum iudicium dirigendum sit. Et SCHMIDTIVS quidem has statuit [102]): 1) Decreta Messiana, quae locis librorum sacrorum, in Novo Testamento item ad Messiam relatis, nituntur, antiqua sunt et Iesu temporibus iam exstiterunt. 2) Decreta Messiana, quae, ut a vulgari Iudaeorum opinione de Messia rege terrestri futuro abhorrent, ita ad Christianam doctrinam proxime accedunt, quaeque seriores Iudaei cum ceteris suis opinionibus non sine

---

100) Excerpta dedit SCHMIDTIVS in *Bibliothek für Kritik etc.* Vol. II. p. 72 sqq.

101) Vid. KEIL. l. l. p. 13. et SCHOETTGEN. in Dissert. *de regno Coelorum*, *Hor. Hebr.* T. I. p. 1150. Contrariam sententiam probat FLECK. l. c. p. 70.

102) *Christol. Fragm.* p. 6.

negotio conciliare potuerunt, ad eandem aetatem referenda sunt. 3) Notiones de Messia, iisdem formulis solennibus et in scriptis Iudaicis et in Nov. Testamento obviae, eodem loco habendae. Quibus regulis cum ipse vir praestantissimus non prorsus acquiescere videatur, eo magis nobis licebit eas in dubium vocare. Ut a secunda incipiamus, mirum est, ea ipsa pro certis poni, de quibus dubitatur. Quaeritur, an quae Christiana sunt vel iis similia in Christologia Iudaica, recte ab antiqua Iudaeorum doctrina repetantur. Quod eiusmodi placita cum ceteris non bene congruunt, id argumento esse non potest, ea esse antiqua, sed rectius inde colligitur, ea aliunde esse depromta. Quod ad primam regulam attinet, clarum est, argumenta e Vet. Test. locis petita, quibus decreta illa Messiana probari solent, aeque potuisse aliunde depromi, vel serius induci, ac decreta ipsa. Id quod etiam valet de formulis eorum solennibus. Melius placet, quam Bertholdtus sequitur, ratio ea, ut ne ex scriptis Iudaicis (quibus recte auctoritatem fontium secundariorum adiungit) quicquam adstruatur, quod non librorum primae classis (librorum scilicet Canonis Hebraici seriorum, imprimis propheticorum, Apocryphorum V. T., Philonis, Iosephi, N. T., quos in numero fontium primariorum habet) testimonio disertis verbis exhibito comprobatum, vel saltem

vestigiis lucidis et certis in iis deprehensis monstratum sit[103]). Ex qua generali regula, in Theologia et Christologia universa sequenda, recte ducitur specialis haec, in dogmate de morte Messiae expiatoria adhibenda, ut *quicquid Novi Testamenti* (qui est unicus fons) *testimonio comprobari non possit, imo ei plane refragetur, ad recentiorem Iudaeorum doctrinam referendum sit.* Ad hanc igitur regulam iudicium nostrum recturi, experiemur, an doctrinam de morte Messiae expiatoria inter Iudaeos Iesu aetate obtinuisse Novi Testamenti testimonio comprobari possit.

CAPUT II.

An Novum Testamentum doceat, Iudaeos Iesu tempore Messiam passurum ac moriturum exspectasse.

§. 15.

Unum et alterum locum (de quibus postea) si exceperis, omnia, quae Novi Test. scriptores de Iudaeorum Iesu et Apostolorum aequalium opinionibus Messianis tradunt, a Messiae patientis ac morientis imagine longissimo seiuncta sunt intervallo. In exspectatione tunc temporis fuisse talem Messiam, qui populum Iudaicum ab hosti-

---

103) In *Christol.* p. 11. Quam tamen ipse legem parum recte sequutus est in eruendis Iudaeorum Iesu aequalium de morte Messiae decretis, uti demonstrabimus.

bus, quibus parebant, liberaturus felicissimumque in his terris regnum conditurus esset, non est, quod doceamus [104]). Haud defuit quidem peccatorum expiandorum, atque sacrorum et morum ad summam puritatem perducendorum spes, quam pii homines inter Iudaeos semper foverant [105]); haec autem Messiae beneficia cum beneficiis ad felicitatem externam spectantibus necessario coniuncta fore existimabant. Iam vero qui fieri potuit, ut ei, a quo felicissimum rerum statum introductum iri sperabant, mala perferenda mortemque ipsam subeundam iniungerent? Neque omnino, quod Iesus moriendum sibi esse profiteretur, cum suis de Messia opinionibus conciliare potuerunt (Io. XII, 34.). *Didicimus*, inquiunt, *ex lege, Christum nunquam esse moriturum. Quomodo tu igitur dicis, fore, ut filius hominis attollatur?* Doctores Iudaici hanc de Messiae aeternitate opinionem ex interpretatione vitiosa loci Ies. IX, 5. hausisse videntur, ubi אֲבִי עַד de aeternitate vitae intellexerunt [106]). Ipsis etiam Apostolis, quae Iesus de

---

104) Vid. Luc. I, 68—79. II, 30—32. Cf. Keil. l. l. p. 7. et Christ. Frid. Schmidii diss. *quae Iudaeorum, qui Christi tempore vixerunt, de eodem varias opiniones enarrat* p. 13. Ipsi apostoli hanc exspectationem foverunt, vid. Matth. XX, 21. V. Fleck *de regno div.* p. 44 sq.

105) Luc. I, 74 sq. Matth. I, 21.

106) Vid. Chr. Fr. Schmid. l. l. p. 12.

morte sua praedicebat, nova plane et inaudita erant. Quare cum per colloquium in supplicia sibi futura incidebat, vel plane non intellexerunt, quid sibi vellet, quidque his verborum imaginibus, quas quidem putabant, significaret (Marc. IX, 32. Luc. XVIII, 34.), vel tristibus his praesagiis perterriti exclamarunt: *ἱλεως σοι κυριε· οὐ μη ἐσται σοι τουτο* (Matth. XVI, 22.). Postquam autem Iesus atrocissima vere perpessus esset supplicia, plane perturbati erant Apostoli, nec habebant, quid de magistro suo, quem pro Messia avide a Iudaeis exspectato antea habuissent, sentirent ac dicerent (Luc. XXIV, 20 sq.) [107]). Qualia cum de Iesu discipulis constent, non est, quod miremur, doctrinam de cruce ceteris Iudaeis *σκανδαλον* fuisse (1 Cor. I, 23.). Temere STAEVDLINIVS [108]) morientis Messiae imaginem Iudaeos habuisse cognitam inde colligit, quod Petrus ceterique Apostoli mortis Iesu Christi necessitatem prophetarum effa-

107) Verba sunt GABLERI in *Progr.* supra laud. p. 11. STAEVDLINIUS, opinione sua captus, ex posteriori loco (v. 21.) exsculpere vult, illos discipulos non tam ob supplicium de Messia sumtum, quam ob longam eius moram, quod triduo iam praeterlapso liberationem populi non aggrederetur, desperasse. Ego vero in illo loco nihil invenio nisi hoc: supplicium Iesu Christi eripuisse eis spem, quam ante aluissent, fore, ut populum liberaret, neque cum iam tertius abhinc ageretur dies, spei locum relictum fuisse.

108) In Tract. supra laud. in *Gott. Bibl.* Vol. I. p. 249.

tis comprobare soleant. Nam etiamsi largiamur, quod tamen nullo potest modo probari, orationes, quas Lucas historiae inseruit, ita vere esse habitas, neque solito veterum historicorum more confictas [109]: quidni putemus, novam de morte Messiae doctrinam nova etiam effatorum propheticorum interpretatione demonstrari potuisse? Certe loci classici Ies. LIII. ad Messiam accommodationem illis temporibus inusitatam fuisse, docet narratio de Eunucho Aethiopico Act. VIII. At obiiciet forte nobis aliquis, ideam Messiae morte populi peccata expiaturi plebi quidem, ex qua Apostoli oriundi erant, et Pharisaeis, non autem cordatioribus inter Iudaeos incognitam fuisse. Verum enim vero parum consentaneum est iis, qui de religione melius edocti fuerunt, talem superstitionem tribuere, qualis huic doctrinae inest; deinde, etiamsi plurimi Apostolorum plebi accensendi sint, tamen Ioannem et Andream, qui Ioannis Baptistae discipuli fuerant, eruditionis Rabbinicae non prorsus rudes fuisse credibile est. Igitur quae attulimus testimonia de universo populo Iudaico valere, non est, quod dubitemus.

---

109) Id quod docuit Eichhornius *in Introd. in N. T.* T. II. p. 37 sqq. Cf. Fleck *de regno div.* p. 44 sq.

§. 16.

Sed videntur obstare duo loca. Simeon senex Mariae, matri Iesu, tristia filii eius fata praedicit, *gladius*, inquiens, *transibit animam tuam* (Luc. II, 35.). Verum ut taceamus, duo priora Lucae capita, seriori tempore conscripta, nonnulla continere, quae ad mythos referenda videntur: vetat orationis series de morte Messiae eaque expiatoria cogitare. Loquitur enim Simeon de impedimentis et difficultatibus, ab invidia adversariorum Messiae obiiciendis. Maioris momenti est locus alter Ioa. I, 29., ubi ex vulgari explicatione Ioannes Baptista mortem Iesu expiatoriam disertis verbis praenuntiat. Et Staevdlinivs quidem Essenorum, quorum disciplinam inter et Baptistae rationem sentiendi vivendique magna similitudo sit, propriam fuisse hanc Messiae expiaturi exspectationem coniecit [110]), quam sententiam Kvinoelivs magna cum fiducia repetiit [111]). Recte contra vulgarem illam interpretationem monuit Gablervs [112]), non potuisse Ioannem hoc iam tempore de morte I. C. expiatoria cogitare hancque sententiam his loci nostri verbis significare. Haud dubie enim,

---

110) *Götting. Bibl.* Vol. I. p. 240 sq.

111) In *Comment. in Matth.* XX, 28.

112) L. l. p. 10.

si eiusmodi de Messia ideam a vulgari Iudaeorum opinione longissime abhorrentem animo concepisset, eam discipulis patefecisset. Iam vero, cum nonnulli eorum, teste Ioanne Apostolo (c. I, 37 sq.), ad disciplinam Iesu transierint; qui fieri potuisset, ut discipuli Iesu praedicta ab eo morte adeo obstupescerent, tamquam re nova et inaudita, et eandem ceu summum malum tantopere extimescerent, cuius vim maxime salutarem iam dudum ex institutione Ioannis Baptistae cognitam habuissent? Cui argumentationi hanc addimus. Ioannem B. consilii eius, quo munere Messiano perfuncturus esset Iesus, haud fuisse conscium, apparet ex legatione ab eo ad Iesum missa (Matth. XI.). Scilicet quaestione, quam Iesu proponi iussit, ipsene esset Messias, an alius exspectandus, prodidit, sese offendisse in ratione, quam Iesus in opere suo perficiendo sequeretur, et quid ille sibi vellet, ignorare. Quod ipsum Iesus affirmat, cum postea dicit (v. 11.), minimum discipulorum suorum Ioanni B. praestare, intelligentia puta rei Messianae. Videtur et ipse Ioannes B. consuetam Messiae politici ideam habuisse, ita tamen, ut futuram rerum conversionem a populi corrupti lustratione et emendatione incipiendam esse censeret. His ergo positis, quid de illo loco Ioanneo statuendum erit? Tentarunt viri doctissimi sagacissimique HERDE-

rvs, Pavlvs, Zieglervs et Gablervs [113]) novam eius explicationem, qua, agni imagine non ad sacrificia V. T. relata, sed sensu mansuetudinis, innocentiae et patientiae sumta, mortis expiatoriae imago ab hoc loco prorsus propellitur; cui tamen ego accedere non possum. Valde enim dubito, num agni imago, cum phrasi *αἱρειν την ἁμαρτιαν* coniuncta, recte ita sumatur. Haec nempe, si certum sequaris loquendi usum, nihil significare potest, nisi vel peccata (expiando) *tollere*, *auferre*, ut in loco 1 Ioa. III, 5. [114]), vel *peccatorum poenas in se suscipere*, ita ut respondeat Hebraeis dictionibus נשא עון et סבל עון. Quod enim interpretes Alexandrini hanc posteriorem significationem nunquam adhibent, id non impedit, quominus eam in Novo Testamento admittamus, quum verbo *αἱρειν* ex consuetudine Graecorum utraque significatio et *auferre*, *tollere*, et *ferre*, *suscipere* insit [115]). Ipse Gablervs posteriorem signi-

---

113) Herdervs *Von Gottes Sohn* p. 126. Pavlvs in *N. theol. Iourn.* Vol. VII. p. 153 sqq., Vol. X. p. 910 sqq. et in *Comment. in Ev. Ioh.* ad h. l. Zieglervs in Gableri *Neuest. theol. Iourn.* T. IX. p. 42 sqq. Gablervs in *Programmatt. Paschal.* 1808—1811. quibus insunt *Melett. IV* in h. l.

114) Respondet in hoc loco phrasi parallelae: *λυειν τα ἐργα του διαβολου*.

115) Praeclaram huic verbo explicando operam navavit Gablervs in *Meletem.* III.

ficationem adhibuit; voce ἁμαρτια vero *vitiositatis*, *pravitatis* sensu sumta, phrasin nostram explicavit: *pravitatem alienam patienter ferre;* quo sensu admisso, Ioannes Baptista Iesum improbitatem hominum variis vitae calamitatibus experturum dixisset. Verum haec explicatio usu loquendi prorsus destituta est. Vocabulum ἁμαρτια numquam, quantum equidem scio, pravitatem sive improbitatem significat, quae in hominibus alios male tractantibus insit, siquidem ei vis inest potissimum negativa. Si Ioannes eam, quam GABLERVS ei tribuit, sententiam exprimere voluisset, haud dubie vocabulis ἀνομια, πονηρια, κακια al. usus esset. Deinde etiam, quem vir doctissimus adhibet, verbi αἰρειν usum in dubium vocaverim; certe locus 1 Macc. XIII, 17., ad quem provocat, nihil probat. Αἰρειν την ἐχθραν ibi denotat: *odium suscipere, in se convertere*, non autem *experiri* sive *gravis instar oneris in se suscipere ac ferre.* Iam vero utramcunque phraseos αἰρειν την ἁμαρτιαν significationem admittas, expiationis notio utique manet, quae cum mansuetudinis et patientiae nota, quam illi docti viri imagine agni exprimi putant, minus bene congruit; hanc igitur imaginem ita explicare non licet. Tantum vero abest, ut ad vulgarem illam de agno sacrificali interpretationem, quam PAVLVS et GABLERVS ea, qua solent, subtilitate et doctrinae copia refutarunt demonstrantes,

agnos ad sacrificia piacularia non esse adhibitos, relabamur, ut GABLERVM vituperemus, quod, quam huius imaginis significationem in effato Ioannis Baptistae admitti posse negavit, eam tamen admisit definiens sensum, quem Ioannes Apostolus huic effato tribuerit. Quodsi enim hic discriminis sacrificiorum, utrum *ἱλαστικων*, an *καθαρσιων*, nullam rationem habuerit, quidni illum idem fecisse arbitremur? Nullum omnino Iudaeum hoc discrimen fugere poterat, sive sacerdotis filius, sive homo ex plebe esset.

Recte omnino mihi statuisse videntur interpretes, qui hunc locum ex Ies. LIII. explicandum esse censuerunt. Nam si ponere hic licet, quod infra probaturi sumus, doctrinam de morte I. C. expiatoria originem traxisse ab illo potissimum oraculo ad Ies. Christum accommodato: non potuit non fieri, ut, si Iesu munus expiatorium describendum esset, ad illum locum classicum respiceretur, dicendique formulae inde depromerentur. Ubi itaque locutiones, de Iesu munere Messiano adhibitas, deprehenderimus, quae ad illum locum referendae videntur, de expiatione cogitemus necesse erit. Iam si hanc interpretandi rationem sequamur, per agnum Dei intelligendus est Christus, quatenus in oraculo illo tamquam is, qui pro expiandis populi peccatis agni instar patienter mala mortemque toleraret, designari existimabatur. Haud incommode

enim is, qui cum agno comparabatur, agnus dici poterat. Ioannes Baptista igitur, cum, Iesum Christum conspicatus, *en agnum Dei etc.* exclamaret, eum esse illum, de cuius morte expiatoria Iesaias vaticinatus esset, professus est. Quod autem in illo oraculo sermo non est de agno immolando, sed vel mactando vel tondendo, id non impedit, quominus in loco Ioanneo agni imaginem ad mortem expiatoriam referamus, cum apud Iesaiam is, qui agno comparatur, mortem expiatoriam subiisse diserte dicatur. Imo potuit hac agni imagine, ubi ei semel expiationis significatio ex illo oraculo adiuncta erat, ad victimas piaculares simul respici, licet ea per se hac ratione adhiberi non posset. Quemadmodum autem agni imago ab illo Iesaiae vaticinio repetenda erat, ita quoque phrasis *αἱρειν την ἁμαρτιαν* ex Hebraeorum dictionibus נשא עון, בכל עון explicanda est.

Sed incidimus iam in nodum difficilem, quem quomodo expediamus, vix habemus. Negavimus, Ioannem B. potuisse de morte Iesu Christi expiatoria verba facere; probavimus contra, effatum eius ab Ioa. Apostolo traditum de hac morte intelligendum esse; quomodo igitur haec inter se conciliari possunt? Quam Gablervs, Herdero et Bavero [116]) praeeuntibus, tutam ac commodam viam

---

116) *Bibl. Theol. d. N. T.* II. 174 sq.

ingressus est, scilicet ut duplicem huius effati sensum statueret, alterum, quem Ioannes B. exprimere voluerit, alterum, quem Io. Apostolus eius verbis subiecerit, eam mihi ipse praeclusi, cum unum tantum sensum iure admitti posse demonstraverim. Atque haec non unica est difficultas, qua historia Ioannis Baptistae premitur; alias adhuc deprehendes, si quae de eo in Evangeliis narrantur, tam inter se, quam cum IOSEPHI narrationibus contuleris [117]; ex quibus hoc potissimum ad nostram rem pertinet, quod Ioannes Bapt. non solum in universum Messiam post se venturum praenuntiasse, sed etiam Iesum illum esse, quem praenuntiaverit, luculentis verbis declarasse (Ioa. I, 30 sqq.), et discipulos suos de sublimiore eius dignitate et munere, cui ipse cedere deberet, edocuisse (Ioa. III, 28 sqq.) traditur, cum tamen aliunde compertum habeamus, Ioannem B. discipulos suos non, uti debuisset, si Iesum pro Messia habuisset, ad eum remisisse, imo de Messiana eius dignitate dubitasse, et quod ille inierat consilium, vel non perspexisse vel adeo improbasse; unde factum est, ut, post supplicium de eo sumtum,

117) Quas exposuit AMMONIUS in *Bibl. Theol.* II. p. 305 sq. et in Progr. Erlang. 1809. *De doctrina et morte Ioa. Bapt.*, quod tamen inspicere mihi non licuit. Cf. FLECK *de regno div.* p. 72—86.

disciputi eius sectam ab ecclesia Christiana diversam, licet ei non adversam, constituerent, de qua mentio fit Act. XVIII, 24. sq. XIX, 1. sqq., et cuius reliquiae, doctrina tamen, ut videtur, immutata et corrupta, adhuc remanent [118]. Optandum sane est (ut GABLERI verbis utar), ut haud desit, qui ingenii vires in componendis his *ἐναντιοφαινομενοις* cum laude periclitetur; mihi quidem ea iam in medio relinquenda sunt.

CAPUT III.

Examinantur, quae Iudaeorum recentiorum Christologia de passione ac morte Messiae docet.

§. 17.

Etsi regula, quam scripsimus, adhibita, fontibus his secundariis consulendis facile supersedere possimus, quoniam e Novo Testamento, primario huius rei fonte, didicimus, incognitam fuisse Iudaeis Iesu et Apostolorum aetate doctrinam de morte Messiae expiatoria: tamen operae pretium erit, quae in libris Iudaicis huius doctri-

---

118) Hodierni discipuli Ioannis, *Sabaei* dicti (de quibus vid. *Commentatt. reg. Soc. Gotting.* Vol. III. Vol. IV. STAEUDLINII *Beiträge zur Philosoph. u. Gesch. d. Rel.* Vol. II. III. V., et LORSBACHII *Mus. f. bibl. u. or. Litt.* Vol. I. Part. 1.), Christianismo adversantur, cum illi, quorum in Act. Ap. mentio fit, ad amplectendam religionem Christianam prompti fuerint.

nae exstant vestigia, diligenter recensere et examinare, eo quidem consilio, ut, quoad licebit, *originem* et *aetatem* eius definiamus.

Prius autem, quam ad huius rei disquisitionem accedimus, monendum est, seriores Iudaeos non solum mortem victimarum succedaneam (vid. §. 6.), sed etiam expiationem, quae morte hominis vicaria fiat, statuere; de qua opinione luculenta exstant testimonia. E libro *Sohar* attulit iam Schmidtivs[119]) nonnulla loca, quae illam docent. P. III. f. 24. ed. Sulzb. haec enim leguntur: מיתתהון דצדיקייא כופרת על חובי דרא. *Mors iustorum redemtio peccatorum generationis.* Ibidem fol. 72. ter repetitur haec sententia: המת מלך מלאכי המות איש חכם יכפריה. *Homo sapiens placat iram regis angelorum mortis.* Quibus addimus, quae ibidem fol. 88.[120]) inveniuntur: בשעתא דיתפסון צדיקייא במרעין או כמכתשין בגין לכפרא על עלמא הוי כדין יתכפרון כל חובי דרא - - בשעתא דבעי קב"ב למיהב אסוותא לעלמא אלקי לחד צדיקא בינייהו ובגיניה יהיב אסוותא לכלא. *Cum iusti morbis et plagis afficiuntur, id fieri solet propter expiationem mundi, ut scilicet expientur omnia debita istius seculi. — — Cum Deus O. M. vult sanitatem mundo conferre, percutiendus est*

---

119) *Christol. Fragm.* p. 43. sq.

120) Habes apud Sommervm *Theol. Sohar* p. 89.

unus iustus ex illis, quo ipso sanitas confertur omnibus. Ex iis, quae sequuntur, intelligitur, hanc opinionem e loco Ies. LIII, 5. manasse. Eiusdem opinionis testimonia e Talmude et aliis libris attulit EISENMENGERVS 121), e quibus hoc apponere iuvat. Tr. *Moed Katon* fol. 28. c. 1. מה פרה אדומה מכפרת אף מיתתן של צדיקים מכפרת. *Quemadmodum vacca rufa expiavit, ita etiam mors iustorum expiat.* Praeter hunc autem expiationis modum alios quoque statuunt, quos recenset EISENMENGERVS 122), quorumque praecipui sunt: mors peccatoris, exilium et castigatio, dies expiationis, mensa, studium legis, observatio sabbathi, precatio; docent praeterea peccata sua in Christianos transferri 123). Videntur in eiusmodi opiniones adducti esse cogitatione, cultu sacrificali abolito, quo peccata expiata fuerint, aliis sibi piamentis opus esse; varia igitur arripuerunt, quibus peccata expiari posse credebant. Certe pluribus locis, ab EISENMENGERO allatis, sicut eo, quem supra attulimus, eiusmodi expiationes loco sacrificiorum piacularium esse diserte docetur, e. gr. Tr. *Megilla* fol. 31. c. 2. 124), ubi Abraham inducitur pro Israelitis deprecans, ne, ubi peccaverint, Deus

---

121) *Entd. Judenth.* P. II. p. 285.
122) L. I. p. 274. sqq. et 503. sqq.
123) Vid. EISENMENGERVM l. l. p. 150.
124) Apud EISENM. p. 275.

iis faciat, quod generationi diluvii et dispersionis fecisset. Quod se non facturum esse, cum Deus promisisset, et dato signo illius sacrificii Gen. XV, 9. affirmasset, Abraham ita eum allocutus fertur: רבונו של עולם תינח בזמן שבית המקדש קיים בזמן שאין בית המקדש קיים מה תהא עליהם אמר לו כבר תיקנתי להם סדר קרבנות כל זמן שקוראין בהן מעלה אני עליהם כאילו מקריבין לפני קרבן ומוחל אני על כל עונותיהם. *O Domine mundi, hoc quidem fiet tempore, quo templum stat; tempore autem, quo templum non stat, quid iis fiet? Dixit ei: dudum iis constitui ordinem sacrificiorum; omni tempore, quo in iis legent, hoc iis ita imputabo, ac si sacrificium mihi offerant, et condonabo iis omnia peccata.* His adde, quae EISENMENGERVS [125]) attulit e *Ialkut chadasch* fol. 179. c. 1. num. 101. et fol. 177. c. 4. num. 72. Disertius vero loquuntur loca Tr. *Berachoth* fol. 55. c. 1. et *Chagiga* fol. 27. c. 1., ubi ita legitur: כל זמן שבית המקדש קיים מזבח מכפר על ישראל ועכשיו שלחנו של אדם מכפר עליו. *Stante templo altare expiavit Israel, nunc autem expiat hominem mensa eius.* Quibuscum conferas locum Comment. R. BECHAI in Pentat f. 114. c. 2., quem excerpsit EISENMENGERVS [126]).

---

125) P. 277. et 281.

126) P. 281.

Vnde discimus, has de expiatione opiniones post templum destructum demum inductas, ac templo integro expiationem sacrificiorum piacularium sufficere visam esse.

Deinde silentio non praetermittendum, Iudaeos in beneficia a Messia accipienda id etiam referre, quod populum Israeliticum ab idololatria sceleribusque omnibus purgaturus sit. Id quod docent R. ISAAK in *Chissuk emuna* ed. WAGENSEIL. p. 315. 336. sq. [127]), R. MACHIR in *Abkath Rochel* ap. HVLS. p. 159. sq., quibuscum conferendus MAIMONIDES in *Sanhedrin* ap. SVRENHVS. T. IV. p. 262.

§. 18.

His praemissis, iam ad ipsas Iudaeorum de passione ac morte Messiae opiniones cognoscendas progrediamur. Qua quidem in re quo rectius versemur, cavendum nobis est, ne invicem permisceamus, quae permiscenda non sunt, neve quicquid ad passionem Messiae quodammodo referri possit, nullo discrimine observato, in unum genus confundamus. Atque primum quidem distinguamus oportet doctrinam de *doloribus Messiae* חבלי המשיח [128]), sive de calamitatibus regno Messiano

127) Cf. CORRODIVS T. I. p. 133.

128) De quibus conferendus liber *Nezach Israel* c. 34. et *Abkath Rochel* p. 1. apud HVLSIVM in *Theol. Iud.*, *Emek Hammelech* fol. 42. c. 4. al. Locus classicus est in *Mischna*

antecessuris, ab iis decretis, quae passionem vel mortem ipsius Messiae statuunt; quod quidem discrimen SCHOETTGENIVS neglexit [129]). Est omnino utraque haec doctrina nexu quodam inter se coniuncta, uti videbimus; eo magis autem, quod inter utramque intercedit, discrimen observandum est. Ceterum haec opinio de angustia, adventum Messiae praegressura, perantiqua est. Nititur enim illis V. T. oraculis, quae §. 5. illustravimus, iamque invenitur in libro quarto *Esrae* (cap. XV. XVI.) et in *Mischna* l. l. Ad eandem Iesus Chr. respexisse videtur (Matth. XXIV, 8.).

Neque minus, quae de passione et morte Messiae traduntur, discernenda sunt, ita tamen, ut ratione habita gemini Messiae, quem seriorum Iudaeorum Christologia statuit [130]), accurate distinguamus, quid ad Messiam *filium Davidis*, quidve ad M. *filium Iosephi* referendum sit. Nam

---

Tr. Sota c. IX. §. 15. Alia loca talmudica et rabbinica, quae huc spectant, collegit SCHOETTGEN. *de Mess.* Lib. V. c. II. p. 509 sqq.

129) Vid. p. 552. sq. l. l. Scilicet non potest adsequi, qui dici possit, *liberari a doloribus Messiae*, mirumque in modum se torquet, ut hanc phrasin cum doctrina Christiana de morte Iesu Christi expiatoria conciliet. P. 557. iterum dolores Messiae cum passione Messiae confundit.

130) De hoc decreto exstat libellus singularis bonae frugis plenus, quem a viris doctis neglectum video: IVST. MART. GLAESENERI *Comment. de gemino Iudaeorum Messia.* Helmstad. 1739. 4.

quae de posterioris morte statuunt Rabbini, inter ea et Christianam de Messiae morte doctrinam necessitudinem admodum longinquam intercedere videbimus.

§. 19.

Quod iam ad Messiam *filium Davidis* attinet, tantum abest, ut Iudaei mortem eius doceant, ut eum perpetuo in vita futurum esse existiment [131]). Quae huc pertinent, ea tantummodo de *passione* Messiae loquuntur. Neque haec sola est differentia inter Iudaeorum et Christianorum de Messia παθητῷ doctrinam, sed in eo etiam illi ab his discedunt, quod Messiam non tum, cum in terris apparuerit, pro expiandis peccatis passurum esse, sed iam antequam advenerit, eam expiationem in se suscepisse existimant [132]). De statu vero Messiae ante eius adventum diverse docent. Alii, qui προϋπαρξιν eius statuunt, inter quos est auctor libri Sohar, eum in paradiso vivere tradunt [133]);

---

131) Vid. Eisenmeng. l. l. p. 687. 813. Bertholdt. *Christol.* §. 28. Sunt tamen alii, qui eum necessitati naturae debitum solvendi obnoxium fore statuunt, ut Maimonides in *Sanhedr.* apud Svrenhvs. T. IV. p. 262. vid. Eisenmengervm l. l. p. 812.

132) Hanc differentiam post Corrodivm nemo, quantum equidem scio, observavit.

133) Vid. Bertholdtvm l. l. §. 25. not. 3. et quae ibi exhibet loca rabbinica, quibus adde alia Soharica a Glaese-

alii, inter quos Gemaristae, eum quidem iam natum fuisse tempore destructionis templi, sed usque ad tempus revelationis suae alicubi latere fabulantur. De qua opinione locus classicus est in Tr. *Hieros. Berachoth* fol. 5. c. 1., ubi haec narrantur: עובדא הוה בחד יהודאי דהוה קאום דרי געת תורתיה קומוי עבר חד ערבוי ושמע קלה · א"ל בר יודאי בר יודאי שרי תורך ושרי קנקנך דהא חריב בית מוקדש' · געת זמן תנייגות · א"ל בר יודאי יודאי קטור תוריך וקטור קנקניך דהא יליד מלכא משיחא · א"ל מה שמיה מנחם · א"ל ומה שמיה דאבוי · א"ל חזקיה · א"ל מן הן הוא · א"ל מן בירת מלכא דבית לחם יהודה · אזל זבין תורוי וזבין קנקנוי ואתעביד זבין לברין למיונוק' והוה עייל קרייה ונפקא קוריה עד דעל לההוא קרתא והויין כל נשייא זבנן ואימה דמנחם לא זבנה · שמע קלן דנשייא אמרי' אימיה דמנחם איתיי וזבנין לברך. *Accidit quiddam Iudaeo cuidam aranti. Cum mugiret bos illius, Arabs quidam iter faciens audiit mugitum eius, dixitque ei: O Iudaee, Iudaee, solve boves tuos atque aratra tua solve, nam ecce vastatum est templum san-*

NERO l. l. p. 28. sqq. allata. Conf. etiam EISENMENGERVS l. l. p. 320. Hoc de προϋπάρξει Messiae placitum non solum iis amplectendum erat, qui sublimiorem ei naturam tribuerent, inter eosque auctori libri Sohar (cf. SCHMIDTII *Christ. Fragm.* p. 41.); sed ceteris etiam Iudaeis, qui omnes praeexistentiam animarum statuunt (cf. EISENMENGERVS II. p. 11. sqq. GLAESENERVS l. l. p. 28. not. b.).

ctissimum. Mugiit bos altera vice. Dixit ei Arabs: O Iudaee, Iudaee, sub iuga mitte boves tuos atque colliga aratra tua! Ecce enim natus est Messias rex. Iudaeus: Quodnam est nomen ei? Arabs: Menachem. Iudaeus: Quodnam est nomen patris eius? Arabs: Hiskia. Iudaeus: Atqui unde ille? Arabs: E Bethlehem Iuda regio Palatio. Abiit Iudaeus et vendidit aratra, factusque est venditor fasciarum infantilium vicatim proficiscens. Cum ad urbem Bethlehem accederet, omnes mulieres ab eo emerunt, mater autem Menachemi nihil emit. Audivit vocem mulierum, dicentium: O mater Menachemi, o mater Menachemi, aufer, quae hic venduntur filio tuo [134]). Vbi vero interim commoretur Messias, ambigitur. Traditio est, eum Romae degere, ut in Tr. *Hieros. Taanith* fol. 64. c. 1.: אמר ר' יהושע בן לוי אם יאמר לך אדם איכן הוא אלהיך אמור לו בכרך הגדול שברומי מה טעמא אלי קורא משעיר. *Dixit R. Iosua f. Levi: si quis te interroget, ubi sit Deus tuus, responde, in urbe magna Roma; unde autem hoc constat?* (*E dicto Ies. XXI.* 11.) *Ad me clamat e*

---

134) Idem narratur in *Nezach Israel* c. 50., ex quo excerpsit EISENMENGERVS II. p. 653. Alia loca, quibus idem docetur, exhibent GLAESENERVS p. 24. sq. et EISENMENGERVS p. 653. Cf. CORRODIVS I. p. 284.

Seir. Locum e *Gem. Babyl. Tr. Sanhedr.* fol. 98. c. 1., in quo idem traditur, paulo infra in medium proferemus [135]). Alia exstat traditio apud IVSTINVM [136]), ubi Tryphon Iudaeus ait: *Χριστος δε εἰ και γεγεννηται, και ἐστι που, ἀγνωστος ἐστι, και οὐδε αὐτος πω ἑαυτον ἐπισταται, οὐδε ἐχει δυναμιν τινα, μεχρις ἀν ἐλθων Ἠλιας χρισῃ αὐτον, και φανερον πασι ποιησῃ*, quae tamen ad nostram rem non pertinet. Nititur haec opinio de Messia iam nato temporum supputationibus quibusdam, quibus tempus Messiae iam advenisse efficitur. Notissima est illa dictio Eliae in *Tr. Sanhedr.* fol. 97, 1.: תנא ר' אליהו ששת אלפים שנה הוי עלמא שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח ובעוונותנו שרבו יצאו מהם מה שיצאו. *Docet R. Elias: sex mille annos durabit mundus. Duo millia inane, duo millia legem, et duo millia Messiae dies complectentur. Sed propter peccata nostra, quae multiplicata sunt, ex iis elapsi sunt, qui iam elapsi sunt.* Ei adstipulatur R. SALOMO IARCHI in glossa marginali. Alibi in eodem Tr. fol. 99. c. 1. legitur hoc R. HILLELIS *παραδοξον*: ר' הילל אומר אין להם משיח לישראל

135) Vid. hunc cum aliis huc pertinentibus apud EISENMENGERVM l. l. p. 668. R. SALOMO IARCHI in glossa marginali hanc fabulam ita mitigat, ut urbem Romam de parte Paradisi, quae e regione Romae sit, intelligat.

136) In *Dial. c. Tryph. Iud.* p. 226. ed. Paris.

שכבר אכלוהו בימי חזקיה אמר רב יוסף שרא ליה מריה לר' הולל חזקיה אימת הוה כבי' ראשון. *R. Hillel dicit: Israelitae alium non habebunt Messiam, illo enim iam potiti sunt* [137]) *in diebus Hiskiae. Respondit vero R. Ioseph: Condonet Dominus Hilleli. Hiskias enim quando vixit? sub templo primo.* Alia temporis Messiae supputatio reperitur in eodem Tr. fol. 97. c. 2.: אמר ליה אליהו לרב יהודה אחוה דרב סלא חסידא אין העולם פחות משמונים וחמשה יובלות וביובל האחרון בן דוד בא. *Dixit Elias ad R. Iudam fratrem R. Salae Pii: Non minus octoginta quinque iubilaeos durabit mundus. Iubilaeo autem extremo veniet filius Davidis* [138]). Unde sequitur, Messiam venisse anno ab orbe condito 4250 h. e. anno post C. N. circiter 250 [139]). Itaque in eodem Tr. eod. fol. et col. dicitur: כלו כל הקיצין ואין דבר תלוי אלא בתשובה ומעשים טובים. *Completi sunt omnes termini* (*sc. adventus Messiae*) *totaque res non pendet nisi a poenitentia et bonis operibus* [140]). Pro diversis his opinionibus dif-

---

137) Per errorem Gerson. *im Talmudischen Judenschatz* p. 127. 130. vertit: *Sie haben ihn schon gefressen.* De usu vocis אכל talmudico cf. Cocceivs in not. ad *Excerpt. Sanhedr.* p. 378.

138) Idem repetit R. Gedalia in *Schalscheleth hakkabala* fol. 35. c. 2.

139) Vid. Glaesenervm l. l. p. 22.

140) Conf. Eisenmengervs l. l. p. 650. Glaesenervs l. l. p. 15 sqq. Bertholdtvs l. l. p. 36. Corrodivs

ferunt etiam in eo, quod de Messiae passione statuunt. Ad priorem opinionem de *προϋπαρξει* Messiae referendus est locus Soharicus P. II. fol. 85. c. 2. [141]): בשעתא דאמרין ליה למשיח׳ צערא דישראל בגלותהון ואינון חייביא די בהון דלא מסתכלי למנדע למאריהון ארים קלא ובכי על אינון חייביא דבהו הדא הוא דכתיב והוא מהולל מפשעינו מדוכא מעונותינו תבין אינון נשמתין וקיימין באתריהון: בגנתא דעדן אית היכלא חדא דאקרי היכלא דבני מרעין כדין משיח עאל בההוא היכלא וקארי לכל מרעין וכל כאבין כל יסוריהון דישראל דייתון עליה וכלהו אתיין עליה ואלמלא דאיהו אקיל מעלייהו דישראל ונטיל עליה לא הוי בר נש דיכיל למסבל יסוריהון דישראל על עונשי דאוריתא הה״ד אכן חליינו הוא נשא וגו׳. *Cum commemoratas audivisset Messias afflictiones Israelitarum in exilio eorum, quodque illae accidissent eis propter peccata, quia noluerint cognoscere dominum suum, voce elata flevit ob peccata illa, quae eos premebant. Quod indicatur verbis Ies. LIII,* 5. *vulneratus is est, scil.*

---

l. l. p. 238 sqq. 269 sqq. Alii tamen tempus Messiae supputatione definiri vetant, vid. EISENMENGERVM l. l. p. 677. GLAESENERVM l. l. p. 43 sq. Alii eum adhuc venturum exspectant, et de hac quidem exspectatione agit duodecimus Iudaicae fidei articulus vid. BVXTORF. *Synag. Iud.* p. 22. *Mischna* ed. SVRENHVS. T. IV. p. 264.

141) Quem exhibent SOMMERVS l. l. p. 94. SCHMIDTIVS l. l. p. 48. Exstat etiam in *Ialkut Chadasch* f. 154. c. 4. num. 29., unde eum depromsit EISENMENGERVS l. l. p. 54.

Messias, ob delicta nostra, attritus propter iniquitates nostras, intellige eas animas, quae sunt collocatae in locis suis. In paradiso est palatium quoddam, vocatum palatium aegrotorum. Hoc ingressus Messias, vocavit omnes morbos, afflictiones et castigationes Israelis, ut venirent super ipsum. Et venerunt quoque super ipsum. Nisi enim auferens easdem ab Israele in se suscepisset, nemo mortalium portare potuisset poenas Israelis propter mulctas, quas lex imponit. Id quod indicatur loco Ies. LIII, 4. *profecto morbos nostros iste pertulit.* Quemadmodum autem tota seriorum Iudaeorum de expiatione doctrina inde orta est, quod, post abolitum cultum sacrificalem, peccatorum conscientia onerati, alia piamenta circumspiciebant: ita etiam haec de expiatione per Messiam futura opinio ex illo desiderio manasse videtur. In illo enim loco Soharico, paucis interpositis, adduntur haec: כד הוו ישראל בארעא קדישא באינון פלחנין וקרבנין דהוו עבדי הוו מסלקין כל אינון מרעין ויסורין מעלמא השתא משיח מסלק לון מבני עלמא. *Cum Israelitae essent in terra sancta, per cultus religiosos et sacrificia, quae faciebant, omnes illos morbos et poenas e mundo sustulerunt; nunc vero* (cessante cultu Levitico) *Messias debet auferre eas ab hominibus.* Quibus verbis luce clarius docetur, expiatione hac per Messiam futura, stante templo,

opus non fuisse, *hoc igitur dogma post templum destructum demum inductum esse.* Quod si pro certo statui potest, quis dubitet, hoc dogma constituentes Iudaeos ad Christologiam Christianam respexisse [142]?

Ad posteriorem de Messia iam nato opinionem referendus est locus in Tr. *Sanhedr.* f. 98. c. 1.: רבי יהושע בן לוי אשכחיה לאליהו דהוי קיימי אפיתחא דמערתא דרבי שעמון בן יוחאי אמר ליה אתינא לעלמא דאתי אמר ליה אם ירצה ארון הזה אמר רבי יהושע בן לוי שנים ראיתי וקול ג' שמעתי אמר ליה אימת אתי משיח אמר ליה זיל שייליה לדידיה והיכא יתיב אפיתחא דרומי ומאי סימניה יתיב ביני עניי סובלים חלאי וכולן שרו ואסירי בחד זימנא איהו שרי חד ואסיר הד אמר דילמא מיבעינא דלא איעכב אזל לגביה אמר ליה שלום עליך רבי ומורי אמר ליה שלום עליך בר ליואי א"ל לאימת אתי מר א"ל היום. *Rabbi Iosua filius Levi invenit Eliam stantem ad ostium speluncae R. Simeonis fil. Iochai, dixitque ei: Venturusne ego sum in seculum futu-*

---

142) Si hoc de Messia patiente decretum ad R. SIMEONEM fil. IOCHAI referendum sit, coniicere liceat, hunc doctorem, tristissimo rebellionis illius, quam Iudaei, impulsore Pseudomessia *Barcochba*, suasore R. AKIBA, ausi erant, exitu et crudeli huius praeceptoris sui supplicio admonitum, usitatis de Messia notionibus abiectis, hanc tristiorem mente concepisse. Certe cum duodecim annos in spelunca delituisse dicatur, otium ei non defuit rem serio perpendendi. Cf. de vita R. Simeonis BRVCKERVS *Hist. crit. Philos.* T. II. p. 839 sq.

rum? Respondit Elias, si voluerit Dominus hic. Respondit R. Iosua: duos tantum video, sed vocem trium audivi. Interrogavit autem porro Eliam, quando venturus esset Messias? Respondit Elias: abi et interroga ipsum. Excepit R. Iosua: ubi ergo sedet Messias? Respondit Elias: ad portam Romae. Adiecit R. Iosua: quodnam vero est signum illius? Respondit Elias: sedet inter afflictos et aegrotos, atque omnes quidem isti simul solvunt et ligant vulnera sua, deinde iterum obligant illa simul, ipse autem solvit unum tantum vulnus, tum demum solvit alterum, dicit enim: si forte oporteat me prodire ad redimendum Israelem, ne detinear. Abiit ergo R. Iosua ad Messiam, dixitque ad illum: salve magister mi atque doctor! Cui vicissim Messias: salve et tu fili Levi. Tum R. Iosua: quando veniet Dominus? Respondit: hodie. Ipse etiam Messias lepra laborare et sic pro hominibus pati dicitur c. 2.: רבנן אמרי היוורא דבי רבי שמו שנ' אכן חליינו וגו'. *Magistri dicunt: leprosus nomen eius est, de domo Rabbi* [143]), *sicut dictum est Ies. LIII,* 4. *Certe morbum nostrum etc.* En habes aliam de Messiae passione opinionem, cuius fere eadem est ratio et origo, quae est il-

143) Haec ad *Magistros* referenda videntur; Cocceius coniunxit cum voce *leprosus*, quod nullius sensus est.

lius, quam in libro *Sohar* deprehendimus. Scilicet cum Messias iam pridem in vitam venisse crederetur, orta est quaestio, cur non ad redimendum populum adveniret, quidque adventum eius moraretur? Semet ipsi accusantes responderunt, peccata populi causam illius morae esse. In loco modo allato ex Tr. *Sanhedrin* f. 98. c. 1. responsum, quod dedit Messias, *se hodie venturum*, ita explicatur: *hodie, si vocem ipsius audiveritis.* In alio eiusdem Tr. loco, quem supra excerpsimus, dicitur: *rem nonnisi a poenitentia et bonis operibus pendere*, additurque haec traditio R. Eliesebis: אם ישראל עושין תשובה נגאלין ואם לאו אין נגאלין אמר ליה רבי יהושע אם אין עושין תשובה אין נגאלין וכו'. *Si Israelitae resipuerint, redimentur; secus si fecerint, non liberabuntur. Cui R. Iosua: si Israelitae poenitentiam non egerint, non redimentur etc.* Quo etiam pertinet illud effatum R. Simeonis fil. Iochai in Tr. *Schabbath* fol. 118. c. 2.: אילמלא משמרים ישראל שתי שבתות כהילכתן מיד נגאלין וכו'. *Si Israelitae tantum observarent duo sabbatha, sicuti decet, statim liberarentur etc.* Id genus plura ex libro *Abkath Rochel* et Menasse ben Israel *de resurrectione mort.* affert Glaesenervs [144]). Iam cum Messiam pecca-

144) L. l. p. 40 sq. Sed fuerunt, qui secus sentirent; in illo ipso loco Tr. Sanhedr. memoratur obiectio R. Iosvae,

tis populi retardari crederent, facile in animum inducere poterant, Messiae pro iis peccatis expiandis patiendum esse [145]). Originem autem huius opinionis, sicut prioris, non ex temporibus ante destructum templum repetendam esse, inde apparet, quod ab opinione, Messiam tempore destructi templi natum esse, pendet.

Quae praeter haec loca nobilissima et in suo genere classica alia occurrunt de passione Messiae, ea vel ad alterutram opinionum earum, quas modo recensuimus, referenda, vel, si de passione Messiae generatim agunt, medii quasi inter utramque generis sunt. Haec autem ex illis demum manasse, et serioris aetatis esse, arguit tum haec ipsa eorum generalis ratio, tum librorum, in quibus

---

qui e loco Ies. LII, 3. colligit, a poenitentia redemtionem non pendere. Vid. SCHOETTGENIVM l. l. p. 672.

145) Cur de Messia leproso fabulam excogitaverint, duplex causa cogitari potest, sive quod leprae, communis et quasi patrii Iudaeorum morbi, imagine, eo sensu adhibita, quo poetis Hebraeis morbi imago in universum usitata est, mala quaeque significare voluerint; sive quod ad Ies. LIII. respexerint, ubi vocem נגע de lepra intelligerent; id quod magis probamus. Cur autem Romae Messiam commorari faciant, intelligitur ex loco in *Schemoth Rabba* fol. 96. c. 2. (apud EISENMENGER. l. l. p. 669.) ubi dicitur: בת פרעה מגרלת מי שעתיד ליפרע מאכיה . ואף מלך המשיח שעתיד ליפרע מע"כום יושב עמהם במדינה וכו'. *Filia Pharaonis educavit eum, qui patrem ipsius ulturus erat: ita etiam Messias, qui ulturus est idololatras, habitat inter eos in urbe.* Messiam Mosi aequiparari, notum est. Vid. GLAESENERVM l. l. p. 173.

exstant, aetas fidesque. Liceat huius notae quaedam afferre. In libro *Abkath Rochel* e libro *Pesikta* afferuntur haec [146]): כשברא הב"ה עולמו פשט ידו תחת כסא הכבוד והוציא נשמת המשיח וכת שלו אמר לו רוצה אתה להבראות ולגאול את בני אחר ששת אלפים אמר לו הין אמר לו א"כ תסבול יסורין למרק עונם ההוא דכתיב אכן חליינו נשא אמר לו אסבול אותם בשמחה אמר לו צדיקים יהיו בביאתך אמר לו יהי רצון שיחיו כלם ואפילו נפלים. *Quando Deus creavit mundum suum, extendit manum suam sub solio gloriae, et produxit animam Messiae eiusque catervam, dixitque ei, visne tu sanare et redimere filios meos post sex millia annorum? Respondit ei: volo. Dixit ei: an etiam sustinebis castigationes eorum, iuxta illud, quod scriptum est: Certe morbos nostros ipse tulit* (*Ies. LIII*, 4.). *Respondit: sustinebo illas cum gaudio. Dixit ei: et vivent iusti in adventu tuo. Respondit: sit beneplacitum tuum, ut omnes reviviscant, imo etiam abortivi.* — *Mechilta* in *Ialkut Rubeni* II. fol. 90. 1. 2.[147]):

---

146) Apud Hulsium p. 309.

147) Apud Schoettgenium l. l. p. 50. Similem locum aliunde depromptum invenies ap. Schmidtium l. l. p. 21. Reprobat Schoettgenius hanc sententiam eam ob causam, quod dolores Messiae non tertiam omnium adflictionum partem constituant, sed infiniti sint: quare melius probat sententiam e Sohare allatam, qua Messias supremus inter illos, qui castigationes sustinuerint, esse dicitur.

R. Hunna dixit nomine R. Acha: in tres partes divisae sunt omnes castigationes et poenae; unam sustinuerunt David et Patriarchae; alteram generatio nostra; tertiam rex Messias. In *Midrasch Ruth Rabba* [148]) locus Ruth II, 14. de rege Messia explicatur, et inter alia haec adduntur: *Et bucellam tuam intinge in acetum: intelliguntur castigationes, q. d. Et ipse vulneratus est ob delicta nostra.* Id genus alia ex *Ialkut Schimeoni*, *Bereschith Rabba*, *Schir haschirim* al. attulerunt SCHOETTGENIVS et CORRODIVS [149]), quae transcribere taedet.

§. 20.

Iam nonnulla dicenda sunt de quibusdam V. T. locis ad Messiam patientem accommodatis. Ac primum quidem, si originem huius interpretandi rationis spectamus, non est mirum, Iudaeos, recepta semel in Christologiam passionis notione, V. T. loca quaesivisse, quibus illam probarent; neque magis mirum, eos eiusmodi loca invenisse, cum pro lubitu quaevis ex Vet. Test. probare soleant. Quod vero in illorum locorum interpretatione cum Christianis fere conspirant, id tantum abest, ut nobis admirationem moveat, ut, qui ali-

---

148) Vid. SCHMIDTIVM p. 20 sq. EISENMENG. p. 758.

149) Ille l. l. p. 553 sq.; hic l. l. p. 287 sqq.

ter fieri potuerit, non intelligamus. Nam ea loca ita comparata sunt, ut qui doctrinam de Messia patiente sibi persuasam, legibus interpretationis grammaticae spretis, V. T. auctoritate adserere studeat, ei sponte quasi offerantur, et accommodationem ad Messiam efflagitare videantur. Sed potuit etiam a Christianis haec interpretandi ratio ad Iudaeos manare.

Principalis huius generis locus est Ies. LII, 13. — LIII, 12., quem antiquiores Iudaeos de Messia interpretatos esse, cum loca supra allata docent, tum Rabbini recentiores testantur [150]), cuiusque notabiliores interpretationes, quas collegerunt SCHOETTGENIVS et HVLSIVS [151]), iam recenseamus. Primus omnium audiatur antiquissimus Iesaiae interpres IONATHAN [152]), Paraphrastes Chaldaicus, cuius potissimum auctoritate utuntur ad antiquitatem doctrinae de Messia patiente demonstrandam [153]). Sed nulla eius est in hac re

---

150) Vid. eorum testimonia apud SCHOETTGEN. l. l. p. 181. EISENMENGER. l. l. p. 757. Cf. HENR. MICHAELIS in *Bibl. Hal.* ad Ies. LIII.

151) Ille l. l. p. 181 sqq.; hic l. l. p. 321 sqq.

152) Apud SCHMIDTIVM l. l. p. 46. hic Targumista nomine PSEVDO-IONATHANIS appellatur. Num hoc nomine, quod alias auctori paraphraseos in Pentateuchum tribuitur, indicare voluit vir doctissimus, hanc quoque paraphrasin IONATHANI B. VSIEL abiudicandum esse?

155) Vid. BERTHOLDTVM l. l. p. 158.

auctoritas, quippe qui, licet omnino quaedam in hoc oraculo ad Messiam referat, de eius passione tamen non solum nihil prorsus moneat, sed fausta et splendida quaeque ei tribuat. Quae enim apud prophetam habentur de malis calamitatibusque toleratis, ea ad populum Israeliticum accommodat, pro quo Messiam, ad gratiam divinam ei reconciliandam, intercedere facit. Quod an recte ita invenerimus, iudicent lectores ex ipsius Ionathanis, quae eam ob causam adiicimus, verbis [154]). Ies. LII, 13—15. ita *παραφράζει*: הא
יצלח עבדי משיחא ירום ויסגי ויתקוף לחדא : כמא
דסברו ליה בית ישראל יומין סגיאין דהוה חשיך ביני
עממיא חזויהון וזיוהון מבני אנשא : כן יבדר עממין
סגיאין עלוהי ישתקון מלכין ישוון ידיהון על פומהון ארי
דלא אשתעיאו להון חזו ודלא שמעו אסתכלו. *Ecce prosperabitur servus meus Messias, extolletur, crescet, et invalescet valde. Quemadmodum per multos dies ipsum exspectarunt Israelitae, quorum contabuit inter gentes adspectus et splendor:* (et evanuit) *e filiis hominum* [155]): *ita disper-*

---

154) Excerpenda ea duximus, quo lectores videant, an recte vertamus.

155) Versio in *Bibl. Polygl. Lond.* perperam sic habet: *qui* (Messias scilicet) *erat pauper inter populos.* חשיך h. l. non significat *pauper*, sed *tabescens*; neque sermo est de Messia, nam suff. הון ad בית ישראל referendum est. Melius hunc locum intellexit Hvlsivs.

get populos multos, super ipso obmutescent reges, admovebunt manus suas ori suo, quia, quod non enarrarunt ipsis, videbunt, et quod non audiverunt, animadvertent. Quorum sensus manifestus est hic: populo Israelitico misero et in exilium eiecto magno cum desiderio exspectatus Messias aliquando apparebit eiusque hostes inopinantes profligabit. Unde vides, quomodo ad populum transtulerit paraphrastes ea, quae de calamitatibus et vexationibus dicta sunt; id quod etiam in sequentibus fecit. Cap. LIII, 1—3.: מן הימין לבסורתנא דא ותקוף דרע גבורתא דיי כדון על מן אתגליאת: ויתרבא צדיקא קדמוהי הא כלבלבין דפרחן וכאילן דמשלח שורשוהי על נגדין דמיין כן יסגון תולדא קודשא בארעא דהות צריכה ליה לא חזו חולא חזויה ולא אימתיה אימת הדיוט ויהי זיו קודשא זיויה דכל דיחזניה יסתכל ביה: בכן יהי לבוסרן ויפסק יקר כל מלכותא יהון חלשין ודון הא כאנש כיבין ומוומן למרעין וכמא דהות מסלקא אפי שכנתא מננא בסירין ולא חשיבין: *Quis credit huic annuntiationi nostrae? et robur brachii potentiae Domini cui nunc revelatur? Et crescet iustus* (i. e. populus Israeliticus) *coram eo* (Messia) *ecce instar surculorum, qui germinant, et instar arboris, quae mittit radices suas iuxta rivos aquarum, sic crescent generationes sanctitatis in terra, quae indigebat illo* (Messia). *Adspectus eius non erit adspectus communis, nec terror, terror vulga-*

ris. Erit splendor eius splendor sanctitatis, quem, quicunque ipsum videbit, contemplabitur. Erit quidem contemptus (iustus), *verum abolebit gloriam omnium regnorum; erunt infirmi et moerentes* (Israelitae) *perinde ac vir doloribus et calamitatibus suppressus. Cum enim subtrahebat vultum maiestatis a nobis, contemti eramus et non aestimati. V.* 4—7.: בכן על חובנא הוא יבעי ועויתנא בדיליה נשתבקון ואנחנא חשיבין כתישין מחן מן קדם יי ומענן : והוא יבני בית מקדשא דאתחל בחובנא ואתמסר בעויתנא ובאולפניה שלמא יסגי עלנא וכדנצית לפתגמוהי חובנא ישתבקון לנא : כולנא כענא אתבדרנא גבר לקבל אורחיה גלינא ומן קדם יי הות רעוא למשבק חובי כולנא בדיליה : בעי והוא מתתב ועד לא פתח פומיה מתקבל תקיפי עממיא כאמרא לנכסתא ימסר וכרחלא דקדם גוזהא שתקא ולית לקבליה דפתח פומיה ממלל מלא :. *Idcirco pro delictis nostris ipse deprecabitur, et iniquitates nostrae propter eum condonabuntur, licet nos reputati simus contusi, plagis affecti et afflicti. Et ipse aedificabit domum sanctuarii, quod profanatum est propter delicta nostra, et traditum est propter iniquitatem nostram, et per doctrinam ipsius crescet pax super nos, et si verbis eius obedierimus, delicta nostra nobis condonabuntur. Omnes nos, ut oves, dispersi sumus, quisque versus viam suam migravimus. In Deo autem fuit voluntas condonandi peccata omnium nostrum propter ipsum. Depre-*

catus et exauditus est, et antequam os suum aperuisset, acceptus est. Fortissimos populorum instar agni ad mactationem tradet, et instar ovis, quae coram tonsore suo silet, et nemo erit coram ipso, qui os suum verbum locuturus aperiat. Reliqua agunt de redemtione populi, de vindicta hostibus infligenda, de felicitate regni Messiae etc. Excerpimus finem v. 11.: בחוכמתיה יזכי זכאין בדיל לשעבדא סגיאין לאוריתא ועל חוביהון הוא יבעי : *Sapientia sua iustificabit iustos, eo quod multos servire faciet legi, ipseque pro peccatis eorum deprecabitur.* Clarum est, paraphrasten non loqui de expiatione Messiae passione et morte efficienda, sed de condonandis ob deprecationem eius populi peccatis, quem praeterea doctrina et sapientia sua iustificaturus sit. Quale negotium Messiae, qui omnino cum Mose comparari solebat, facile iniungi potuit, quod Mosen pro populo deprecatum esse constabat (Exod. XXXII.) [156]. Ceterum a Messia expiationem peccatorum exspectatam fuisse vidimus. At exstat unus locus, in quo Noster de morte Messiae loqui videtur, v. 12.: *Facultatem civitatum fortissimarum dividet spolium,* חלף דמסר למותא נפשיה, *ideo quia tradidit*

156) In Tr. *Sota* f. 14. apud Hvlsivm p. 338. nostra pericope ad Mosen accommodatur, a quo deprecatio pro populo et peccatorum expiatio facta esse dicitur.

animam suam morti. Numquid vero putabimus, paraphrasten, si mortem Messiae expiatoriam docere voluisset, in fine demum pericopes et quasi obiter de ea locuturum fuisse? Neque etiam, postquam mortis mentionem iniecit, de expiandis hac morte peccatis quidquam addit, sed concludit iisdem, quibus in capitis initio usus est, verbis: *pro peccatis deprecatus est.* Videtur itaque illa locutio: *tradidit animam suam morti,* quam textus Hebraicus Nostro suppeditavit, nihil aliud significare, nisi Messiam in redimendo populo nec labori nec periculo esse parciturum [157]).

Ionathani accedere videtur R. TANCHVMA, qui huius pericopes initium explicat omnino de Messia, non autem de eius passione ac morte [158]). R. ALSCHECH in *Comment.* ad h. l., qui antiquos se sequi profitetur, quatuor priores versus (cap. LII, 13. — LIII, 1.) ad Messiam refert, eique castigationes tribuit, cetera autem de iusto generatim intelligit, observans ad v. 2., etiam Rabbinos antiquos, qui praecedentes versus de Messia interpre-

157) Haec explicatio quodammodo confirmatur eo, quod in Tr. *Sota* l. l. haec verba quoque ad Mosen accommodantur, quia dixerit Exod. XXXII, 31.: *nunc condona Israelitis peccatum, si non, dele me ex libro, quem scripsisti,* qui tamen ideo non nisi improprio sensu animam suam morti tradidisse dici poterat.

158) Vid. HVLSIVM l. l. p. 321.

tentur, hos sequentes videri exponere de iusto, qui afflictiones amoris sustineat in mundo [159]).

Vides, quam vaga et fluxa sit haec interpretandi ratio, indeque intelliges, doctrinam ipsam de morte et passione Messiae parum firmiter animis inhaesisse. Ceterum valde dissentiunt inter se Iudaei in huius oraculi explicatione. Non solum recentiores omnes eius accommodationem ad Messiam reiiciunt, sed nonnulli etiam antiquiores alias interpretandi vias ingressi sunt. Interpretationem de Mose in Tr. *Sota* propositam iam memoravimus; quod autem mireris, in Hieros. Tr. *Schekalim* ad R. Akibam locus noster accommodatur [160]).

Alter locus est Zach. IX, 9., qui in Tr. *Sanhedrin* fol. 98. c. 1. de Messia explicatur hoc modo: אמר רבי אלכסנדרי רבי יהושע בן לוי רמי כתיב וארו עם ענני שמיא כבר אינש אתי וכתיב עני רוכב על חמור זכו עם ענני שמיא לא זכו עני רוכב על חמור. *Dixit R. Alexander, R. Iosuam f. Levi obiecisse: Scriptum est* (Dan. VII, 13.)*: Ecce in nubibus coeli veniet, sicut filius hominis; et* (Zach. IX, 9.) *scriptum est: Pauper et inequitans asino.* (Sic autem conciliavit:) *Si mereantur, veniet in nubibus coeli: si non*

---

159) Vid. Hvlsivm l. l. p. 326.

160) Vid. Hvlsivm l. l. p. 391.

mereantur, pauper et equitans super asinum[161]). Quae quidem explicatio omnino ad doctrinam de passione Messiae referenda est, siquidem humilis haec conditio ad statum passionis pertinere videtur: cuius opinionis ratio ex iis, quae supra observavimus, facile intelligitur. Quemadmodum peccata populi Messiae adventum retardare existimantur, sic eadem efficiunt, ut Messias, maiestate sua destitutus, pauper et humilis adventurus sit. Ceterum et huius opinionis novitatem demonstrandi datur copia. Locum Zachariae Iesu tempore de Messia nondum explicatum fuisse, inde apparet, quod Apostoli, teste Ioanne (cap. XII, 16.), post ultima Iesu fata demum in hanc interpretationem inciderunt. Ea si recentior est, illa etiam opinio de humilitate Messiae, quae ei innititur, ad seriorem aetatem referatur oportet.

§. 21.

Ubi de morte Messiae loquuntur doctores Iudaici, Messiam alterum, filium Iosephi, sive Ephraimi [162]) dicunt; id quod probant sequentia

---

161) Iure suo GLAESENERVS l. l. p. 117. not. a. GALATINVM reprehendit, quod his verbis duplicem Messiae adventum, alterum cum humilitate ad redimendum, alterum cum maiestate ad iudicandum doceri putaverit. Sermo est de unius adventus ratione.

162) De nominibus et origine huius Messiae vid. GLAE-

testimonia. *Sohar* **P. III. fol. 82. ed. Sulzb.:** יתכליל ביה משיחא אחרא בריה דיוסף ותמן יתתקף ולא באתר אחרא ובגין דאיהו גבעה תתאה דלית ביה חיין ימות משיח דא ויתקטיל ויהא מית זמנא עד דתלקוט חיין גבעה דא ויקום. *Adiungetur ipsi* (Messiae ben David) *Messias alter, filius Iosephi, qui ibidem stabilietur, nec ullo alio loco. Quia vero iste erit collis inferior* (natura inferior), *destitutus proprietatibus vitalibus, morietur hic Messias, et occisus in statu mortis permanebit ad tempus, donec recolligat iterum vitam hic collis, et resurget* [163]). *Menorath Hammaor* fol. 81. c. 2.: אמרו רבותינו שמלך אחר שאיננו מזרע דוד יקדימנו ויהרג וקראוהו משיח בן יוסף. *Rabbini nostri dixerunt, quod* (praeter Messiam ben David) *alius rex, originem suam non ex semine Davidis ducens, ipsum praeibit et occidetur, quem nominaverunt Messiam ben Ioseph. — Schene Luchoth Habberith* fol. 242. c. 1.: כי לא יבוא משיח בן יוסף לצורך עצמו רק יבוא בשביל משיח בן דוד כי הוא ימסור נפשו והערה נפשו למות ודמו יכפר על עם *Nam Messias ben Ioseph non veniet in suam ipsius utilitatem, sed propter Messiam ben David. Nam*

Senervm l. l. p. 53. sqq. Eisenmengervm l. l. p. 721 sqq. — Schoettgenivs l. l. p. 360. unum locum memorat, ubi hic Messias e tribu Manasse derivatur.

163) Vid. Sommervm l. l. p. 91. Glaesenervm l. l. p. 49. Bertholdtvm l. l. 159.

ille tradet animam suam et effundet animam suam in mortem, et sanguis eius placabit populum [164]. Scilicet Messias f. Iosephi bellum contra hostes populi Israelitici geret, magnam cladem iis inferet, partemque Iudaeorum in terram sanctam reducet, tandem vero in proelio adversus Gogum et Magogum et Armillum occumbet. *Mikveh Israel* fol. 48. c. 1. 2. *Ialkut chadasch* fol. 141. c. 4. *Abkath Rochel* p. 51. ed. HVLS. [165].

Quo melius de hac opinione iudicare possimus, necesse erit, ut in universae de altero Messia doctrinae rationem et originem inquiramus. Et primum quidem eius originem ad sequiora tempora referendam esse, extra dubitationem positum est. Nullam duplicis Messiae notitiam habuisse veteres Iudaeos, testantur antiquiores Targumistae, IONATHAN *in Prophetas*, et ONKELOSVS *in Pentateuchum*, qui multa loca de Messia explicarunt, ac semper nomen משיחא posuerunt, nihil de Messia ben Ioseph addentes [166]. Memorant hunc Mes-

164) Vid. BERTHOLDTVM l. l. p. 159. EISENMENGERVM l. l. p. 720.

165) Vid. EISENMENGERVM l. l. p. 747 sq. 704 sqq. GLAESENERVM l. l. p. 62 sqq.

166) ELIAS LEVITA in *Methurgeman* s. Lexico Chaldaico et BVXTORFIVS in *Lexico Talm.* s. v. משיח collegerunt loca targumica, in quibus Messiae mentio fit. Erravit WETSTENIVS, qui in Targ. Ierem. XXX, 9. Hos. III, 5. Messiae fil. Iosephi mentionem fieri affirmavit (ad Matth. I, 1.) Habent

siam seriores demum Targumistae, *Pseudo-Ionathan ad Exod.* XL, 11. et *Targ. Cant.* IV, 5. et VII, 3.[167]). Neque huius doctrinae vestigium cernitur in Mischna et antiquiore Gemara Hierosolymitana. Afferre quidem sibi visus est SCHMIDTIVS [168]) eiusmodi locum e Gemara Hieros. in *Tr. Succa* fol. 52.; sed nescio, quonam errore inductus doctissimus vir locum Gem. Babyl. in Tr. *Succa* fol. 52. c. 1., ubi Messiae ben Ioseph omnino mentio fit, cum simili loco alterius Gemarae in eundem Tr. fol. 55. c. 2., ubi de Messia generatim sermo est, confuderit. Locus Babylonicus sic se habet: affertur Zach. XII, 12. et de eius explicatione quaeritur: הא הספידא מאי עבידתיה פליגי בה רבי דוסא ורבנן חד אמר על משיח בן יוסף שנהרג וחד אמר על יצר הרע שנהרג בשלמא למאן דאמר על משיח בן יוסף שנהרג היינו דכתיב והביטו אליו את אשר דקרו וספדו עליו כמספד על היחיד וגו'. *Luctus iste cur fiet? Disputant de eo R. Dusa et Docto-*

haec loca ita: *et obedient Messiae fil. Davidis regi suo*, non autem ut WETSTENIVS ea affert: *et obedient Messiae filio Davidis et Messiae filio Ephraimi.*

167) Excerpta sunt haec loca apud GLAESENERVM l. l. p. 48. et BERTHOLDTVM l. l. p. 77. Haec Targumim recentissimae aetatis esse, inter doctos viros constat. Mentionem scil. faciunt Mischnae et Gemarae, Constantinopoleos et aliarum rerum, quae eorum novitatem arguunt. Vid. EICHHORNII *Introd. in V. T.* I. p. 455. et GLAESENERVM l. l. p. 149 sq.

168) L. l. p. 19.

res. Altera pars dicit, de Messia filio Iosephi, qui occidendus; altera de figmento malo, quod occidendum. Pax vero illi, qui de Messia fil. Iosephi occidendo accipit. Hoc enim est, quod scriptum (Zach. XII, 10.)*: Et respicient ad eum, quem transfixerunt, et lugebunt eum tamquam filium unicum etc.* In loco Gem. Hieros. de eodem loco Zachariae disputatur: תרין אמורין חד אמר זה הספידו של משיח וחורנה אמר זה הספידו של יצר הרע. *Duplex sententia est; altera pars dicit, hic est luctus de Messia, et altera dicit, hic est luctus de figmento malo.* Quod vero in tam simili eiusdem loci interpretatione utraque Gemara ita differt ratione Messiae, id ipsum arguit, hanc de Messia altero doctrinam recentiorem esse. Antiquissimum eius vestigium exstat in libro *Sohar;* cuius quidem libri antiquitas cum suspecta sit, eius testimonium in hac re nihil valet. Itaque a vero haud longe aberrabimus, si originem huius doctrinae ad tempus collectae Gemarae Babylonicae referamus [169]).

Quod autem ad rationem huius fabulae attinet, plurimi statuunt, eam ideo esse a serioribus

---

169) Quae est sententia GLAESENERI l. l. p. 145., licet illam utriusque Gemarae differentiam in hac re neglexerit. Haec eius doctrinae origo recentior videtur complures recentiores Iudaeos movisse, ut eam haud amplecterentur. Vid. GLAESENERVM l. l. p. 145 sqq.

Rabbinis inventam, ut passionis notam, ceteris, quas sibi de Messia fil. Davidis finxissent, opinionibus haud congruam, ab hoc ad M. filium Iosephi transferrent. Communis haec est sententia non solum antiquiorum, quos recenset GLAESENERVS [170]), sed etiam recentiorum multorum, ut SCHMIDTII [171]), STAEVDLINII [172]), CORRODII [173]). Equidem non plane negaverim, seriores Rabbinos passim in alterum Messiam transtulisse, quae ab antiquioribus filio Davidis tributa essent, quod etiam illa loca Gemarica probant; causam vero, cur hoc commentum excogitaverint, hac in re haud quaesiverim. Receptae sententiae praeter alia haec potissimum obstare videntur. Quod si hanc fabulam non nisi eo consilio invenissent, ut passionis notionem a Messia f. Davidis prohiberent: cur, quaeso, ii, qui hanc passionem profiteri haud verentur, ut auctor libri Sohar et Gemaristae Babylo-

---

170) L. l. p. 119. Antiquiores tamen in eo a recentioribus differunt, quod illi Iudaeos non re vera duos Messias credidisse, sed parabolice locutos duplicem unius Messiae adventum aut conditionem illa fabula significasse statuunt (ita SCHOETTGENIVS l. l. p. 361. et SOMMERVS l. l. p. 92. locum illum Sobaricum explicant); hi vero alterum Messiam pro persona a filio Davidis diversa habitum esse censent.

171) L. l. p. 18.

172) L. l. p. 245.

173) P. 302. licet aliam etiam eius doctrinae causam admittat.

nici, de Messia f. Iosephi tamen docent? Deinde cur alterum Messiam fil. Iosephi, vel Ephraimi fecerint, hac sententia explicari non potest. Hanc autem originem haud temere ei tributam esse, quis dubitabit? In nomine huius Messiae latere totius commenti rationem recte sentientes, LVD. CAPELLVS [174]), HASAEVS [175]), SCHOETTGENIVS [176]) eius originem ex Christologia Christiana repetierunt, et nomen filii Iosephi a Iesu Christo, Iosephi quippe filio, depromtum esse statuerunt. Verum refutatur haec sententia hoc uno argumento, quod pro nomine illo etiam nomen filii Ephraimi occurrit, et utrumque Messiae huius originem ex tribu Ephraim vel Ioseph denotat. Cuius originis rationem habens BERTHOLDTVS [177]) hoc dogma e Christologia Samaritana ad Iudaeos manasse con-

---

174) In *Exercitatione ad obscurum Soharis locum*, quae adiecta est eius diatribae *de veris et antiquis Ebraeorum litteris etc.* Amstelod. 1645.

175) In *Biblioth. Brem. Class.* VIII. fasc. V. p. 842.

176) L. l. p. 134.

177) L. l. p. 75. Similis est CHRISTOPH. CELLARII sententia, quam in diss. *de gemino Messia* §. VII. p. 7. et in *Collectaneis hist. Samarit.* c. III. §. 3. p. 27 sqq. proposuit, quamque GLAESENERVS l. l. p. 123 sqq. refutavit. Scilicet dogma de Messia filio Iosephi multo antiquius, quam schisma decem tribuum, esse putat, et ortum ex praerogativa, quam Ephraim prae fratre maiori Iacobi morituri vaticiniis et benedictionibus adeptus fuerit etc.

iecit. Quod autem vir doctissimus pro certo ac indubitato posuit, Messiam Samaritarum filium Iosephi haberi, id, quamquam non prorsus improbabile videtur, nullo certo tamen argumento nititur [178]). In nulla enim epistola a Samaritis ad Europaeos data prosapiae, quam Messiae suo tribuant, fit mentio. Deinde Christologiam Samaritanam a Iudaica derivare maluerim, quam hanc ex illa interpolatam putare. Quemadmodum enim Samaritae Pentateuchum, caerimonias, sacerdotes a Iudaeis accipere haud tergiversati sunt [179]): ita etiam Iudaeorum doctrinam de Messia suam facere potuerunt. Docet etiam historia evangelica (Ioa. IV.), Samaritas non eo in Iudaeos flagrasse odio, ut ab his in rebus ad religionem pertinentibus se institui non paterentur. Iudaeos contra, qui Samaritas non solum acerbo odio persequebantur, sed etiam, nimia superbia elati, tamquam *Cuthaeos* et impuros penitus contemnebant, ab iis didicisse, nullo modo mihi persuadere possum.

---

178) Ad quae provocat loca in Eichhornii *Repert.* T. IX. p. 40. T. XIII. p. 264., ea id non probant.

179) Vid. librum meum: *Beiträge zur Einleit. ins A. T.* P. I. p. 214 sqq. cf. Pavlvs in *Comment.* T. IV. p. 227., qui fere idem statuit. Liceat hic monere, me tum, cum illum librum scribebam, egregium Pavli Comment. nondum inspexisse, ne quis putet, aliena mea me fecisse, fontem, unde hauserim, dissimulantem.

Ex illo Christi cum muliere Samaritica colloquio GLAESENERVS [180]) et PAVLVS [181]) colligunt, exspectasse Samaritas Messiam e tribu Iuda oriundum, quia Iesu, salutem ex Iudaeis fore dicenti, mulier illa nihil contradixerit, quod fecisset, si Samaritae Messiam ex tribu Ephraim oriundum exspectassent. Quae tamen argumentatio non satis est firma. — Verosimillimam sententiam de hac re protulit GLAESENERVS [182]), Iudaeos hoc figmento nil nisi collectionem decem tribuum ex toto terrarum orbe per Messiam futuram atque introductionem per illum in terram Canaan designare voluisse. Illas in patriam reducendi munus huic Messiae iniunctum esse, testantur plura loca, quae tamen GLAESENERVS, mirum sane, haud attulit. *Mikveh Israel* fol. 47. c. 2.: עשרת השבטים יסעו לארץ הקדושה על יד שר וראש אחד משיח בן יוסף. *Decem tribus proficiscentur ad terram sanctam ductu principis ac capitis unius, Messiae ben Ioseph.* Et fol. 48. c. 1.: יהיה ראש על כל עשרת השבטים המכונים בשם אפרים בכל המקרא. (Messias b. I.) *erit caput super decem tribus, quae in tota scriptura Ephraim nominantur.* — *Pesikta Sotarta* fol. 58. c. 1. 2.: יהיו ישראל מקובצים בגליל העליון וצפה עליהם

---

180) L. l. p. 127.
181) L. l. p. 233.
182) L. l. p. 200 sqq.

שם בן יוסף מתוך הגליל והם עולים משם וכל ישראל עמו לירושלים. *Congregabuntur Israelitae in Galilaea superiori, atque ibi, in medio Galilaeae, eos exspectabit Messias ben Ioseph, et omnes Israelitae istinc cum eo proficiscentur ad Hierosolyma* [183]). — *Abkath Rochel* p. 35 sq. ed. Huls.: לסוף תשעה חדשים יגלה משיח בן יוסף ושמו נחמיה בן חושיאל עם שבט אפרים ומנשה ובנימין ומקצת בני גד ושומעין ישראל שבכל המדינות שבא משיח ה' ומתקבצים אליו מעט מכל מדינה. *In fine novem mensium* (persecutionum et vexationum) *revelabitur Messias filius Iosephi, cui nomen Nehemias filius Husielis, cum tribu Ephraim, Manasse, Benjamin et parte filiorum Gad. Et audientes Israelitae per omnes provincias Messiam Dei advenisse, pauci ex omnibus provinciis ad eum congregabuntur.* Quod autem huic Messiae bellum contra Gogum et Magogum gerendum dicitur, id ab illo eius munere neutiquam abhorret, uti discimus ex loco ABARBANELIS in *Maschmia Ieschua* fol. 62. c. 2.: לפי שעשרת השבטים יבואו ראשונה והם יתחילו להלחם באומות לכן אמר ויתר אחיו שהם יהודה ובנימין ישובון על בני ישראל שהם עשרת השבטים. *Quia decem tribus primum venient, et illae cum populis bellum incipient, propterea dicit* (Mich. V, 3.): *E t r e l i q u i f r a t r e s* (*nempe Iuda et Ben-*

---

183) Vid. haec loca apud BERTHOLDTVM l. l. p. 79 sqq.

iamin) *ad filios Israelis revertentur*, (*qui sunt decem tribus*). Quo etiam pertinet, quod BERTHOLDTVS [184]) merito memorat, ab hoc altero Messia, regia Ierobeami prosapia oriundo, exspectari, ut detrimenta dynastiae Davidicae per hunc ipsum Ierobeamum defectionemque decem tribuum eius auspiciis factam olim allata sarciat et reconcinnet; qua de re conferendus est locus e *Schene Luchot Habberith* f. 242. c. 1. ab hoc V. D. excerptus. Verissima haec sunt, simul tamen tenendum, hanc de altero Messia fabulam eo consilio excogitatam esse, ut decem tribus quasi in societatem honoris redemtionis populi venirent, et cum tribu Iuda in bonam gratiam redirent. Id quod sagacissimus PAVLVS [185]), Iudam et Israelem inter se reconciliandi consilium in hac fabula deprehendens, praeclare vidit.

Quae cum sit doctrinae de altero Messia ratio, quaeritur, cur eum moriturum esse commenti sint. Ac primum quidem eius mors ad *dolores Messiae* referenda est [186]). Cum bella ei gerenda esse dicerent, facile in opinionem incidere poterant, eum ab hostibus caesum iri. Deinde, quia

---

184) L. l. p. 75.

185) In *Comment. in N. T.* T. I. p. 250. Cf. BAVERI *Bibl. Theol. d. A. T.* p. 250.

186) Vid. HVLSIVM l. l. p. 38.

uni tantum Messiae Israelitis imperare licebat, consentaneum visum est, ut alter Messias e medio tolleretur. Porro Ierobeami, cuius filius dicebatur, peccatum ipsius mortem poscere visum est. Id quod apparet ex *Ialkut chadasch* fol. 141. c. 4.: משיח בן יוסף שידקר בחרב של גוג ומגוג הוא בשביל חטא ירבעם *Messias f. Iosephi confodietur gladio Gogi et Magogi idque propter peccatum Ierobeami.* Denique expiationis desiderium huius mortis fingendae ansam praebere potuit, licet eius vis expiatoria παρεργον esse videatur, et uno tantum loco, quantum equidem scio, indicetur [187]). Quae quidem causae tam idoneae sufficientesque videntur, ut ad alias haud refugiendum sit. Infelicissimam vero omnium censemus BERTHOLDTI [188]) coniecturam censentis, a Samaritis hanc de morte Messiae fil. Iosephi opinionem ad Iudaeos manasse. Nam praeterquam, quod parum credibile est, Iudaeos a Samaritis quicquam esse mutuatos, uti supra demonstravimus: ne potest quidem probari, istos hanc opinionem habuisse. Etsi enim in epistola quadam Samaritarum [189]) aliquid

---

187) Is locus e *Schene Luch. Habb.* f. 242. c. 1. supra allatus est.

188) L. l. p. 157 sq.

189) Vid. SCHNURRERI *Samaritan. Briefwechsel* in EICHHORNII *Repert.* T. IX. p. 28. Verba haec sunt: *Doctores nostri tradunt, processurum esse hunc prophetam, eique se*

de morte Messiae legimus, nihil tamen de morte violenta eius vel expiatoria in illa occurrit; neque fortasse mortis mentionem fecissent, nisi eum prope sepulcrum Iosephi sepultum iri memorare voluissent.

Quod de huius Messiae morte Veteris Testamenti loca, imprimis Zach. XII, 10., explicantur, de ea re non est, quod amplius disseramus. Sufficiat demonstrasse, hanc de alterius Messiae morte opinionem tum propter eius naturam ipsam, tum propter recentem originem nihil valere ad probandam doctrinae de morte Messiae expiatoria antiquitatem.

§. 20.

Omnibus, quae e documentis historicis petita sunt, argumentis refutatis, superest, ut argumentationi Staeudlinii [190]), nonnullis doctis viris probatae [191]), qua antiquitatem huius doctrinae firmare studuit, occurramus. Putat vir praestantissimus, notionem patientis Messiae ita et oriri potuisse, et ortam esse, ut, quemadmodum universa Mes-

---

subiecturos omnes populos et in eum credituros et in legem Mosaicam sacram et in montem Garizim; ac illustrem fore religionem Mosis filii Amrami et princeps nomen huius prophetae M. (Messiam); *et moriturum esse ac sepultum iri penes Iosephum, filium fructiferae, rel.*

190) L. l. p. 242.

siae idea ad Davidis exemplar quasi expressa esset, ita etiam vexationes et calamitates, quas ille pertulisset, in Messiam transferrentur. Hoc factum esse equidem plane non negaverim. Verum inde manare non potuit Messiae passione ac morte peccata populi expiantis idea, siquidem neque Davides mortem violentam passus erat, neque calamitatibus ab eo toleratis expiatoria vis et efficacia tribui poterat. Si in iis, quae de Messia docent seriores Iudaei, rationem habuerunt laborum a Davide exantlatorum, id fecisse potius videntur in dogmate de doloribus Messiae conformando. Sicuti Davides per labores et contentiones ad regnum pervenerat, ita etiam regnum Messianum calamitates praecessuras esse docebant. Doctrinam autem de doloribus Messiae plane seiungendam esse a passionis et mortis ei subeundae notione, statim ab initio monuimus.

---

191) Vid. Eichhornii *Allgem. Bibl.* Vol. I. p. 743.

PARS POSTERIOR.

Quonam consilio Iesus Christus mortem subierit, quidque de hac re ipse professus sit.

SECTIO PRIOR.

De consilio mortis Iesu.

§. 23.

Cum ex iis, quae hactenus disputata sunt, satis clarum esse videatur, Iesu aequales quaevis alia potius ab eo exspectasse et postulasse, quam ut mortem cruentam subiret: quaeritur, quibus causis ad hoc consilium capiendum adductus sit. Quod ut melius perspiciamus, de ratione, quam Iesus Christus in munere Messiano administrando sequutus esse videatur, nonnulla in universum praemonenda sunt.

Natus est Iesus eo tempore, quo populus Iudaicus eo rerum et sacrarum et publicarum statu erat, ut non solum populus antiquae illi Messiae, patriae vindicis, exspectationi impense indulgeret, sed cordatiores etiam rerum in melius mutationem desiderarent. Pro diversa autem animi indole et

cultu diverse sentiebant de ratione ac modo huius salutis, communibus votis expetitae. Et plurimi quidem Messiam regem victoriosum atque potentissimum, alii vero, iidemque pauciores, non solum victorem, sed etiam legislatorem, sacrorum restitutorem, morum censorem, prophetam exspectabant. Iesus autem ulterius progressus, ab omni politicae libertatis et potentiae recuperandae spe abstinendum, omnemque salutem in animi morumque emendatione et verae pietatis affectatione quaerendam esse sibi persuasit. Ad quam internam salutem populo suo afferendam cum se a Deo electum sentiret, prodiit, exspectati Messiae persona suscepta, et felicem rerum conversionem a se perficiendam praedicavit. Ne autem reipublicae vindicem se fore sperarent, statim prima oratione, quam ad populum habuit, diserte est professus, se eorum tantum causa venisse, qui novis rebus moliendis plane renuntiantes, nonnisi mentis saluti consulere vellent [192]). Abolevit itaque

192) Orationis, quam vocant, montanae prooemium Matth. V, 2. sqq. dico. Mirum est, nobilissimum hunc locum post tot praeclarissimorum interpretum in eo explicando positam operam sua luce adhuc indigere; magis vero mirum, melioris explicationis periculum a me factum (vid. *Beitrag zur Charakteristik des Hebraismus* in *Studien herausgeg. von* Daub *und* Creuzer Vol. III. Part. II. p. 309.) ne unius quidem viri docti oculos in se convertisse. Liceat igitur hanc explicationem hic repetere. Omnis difficultas sita est in phrasi

usitatam Messiae notionem, et novam eamque

πτωχοι τῳ πνευματι; nam eam explicandi rationem, qua *τῳ πνευματι* ad *μακαριοι* refertur, ab aliis iam improbatam, refutare non opus est. *Πτωχος* explicandum esse ex Hebr. עָנִי et אֶבְיוֹן, quae LXX. ita vertunt, iam dudum observarunt interpretes; sed eorum vocabulorum usum, in multis V. T. locis obvium atque unicum, qui hic adhiberi possit, minime perspexerunt. Monstravi in dict. tract. et in meo *Comment. in Psalmos*, plurimas Elegias, in Psalterio exstantes, in quibus sermo est de עניים et אביונים, non de privata miseria et vexatione esse explicandas, sed de publica; vocabula 'ע et 'א igitur denotare plerumque miserum Israelitam, publicis calamitatibus obrutum. Idem horum vocabulorum usus obtinet in aliis V. T. libris, nominatim in Iesaiae vaticiniis (e. gr. cap. LXI, 1., quem locum Iesus ad se accommodat apud Luc. IV, 18.). Iam cum Messiam eum fore sperarent, qui populum Israeliticum ab omnibus calamitatibus et vexationibus liberaret, voce 'ע sive 'א ii appellari poterant, qui Messiae auxilio indigebant, eumque exspectabant. Hoc sensu nostrum *πτωχος* accipiendum est. Iesus, Messiam se annuntians, eos adfatus est, quos auxilium ipsius exspectare putabat, i. e. miseros afflictosque. Quia autem politicae miseriae medelam afferre nolebat, eos tantum beatos (i. e. a se beandos) praedicavit, qui interna miseria, salutisque internae desiderio laborarent, qui, ut ait, *spiritualiter* miseri essent. Ceteris allocutionibus eadem notio inest. *Οἱ πραεις, οἱ ἐλεημονες, οἱ εἰρηνοποιοι, οἱ καθαροι τῃ καρδιᾳ* sunt ii, qui a novarum rerum studio alieni sunt; *οἱ πεινωντες και διψωντες την δικαιοσυνην*, qui mentis saluti consulere volunt. Vocabulo *πτωχος* Iesum eos appellasse, qui Messiae auxilio indigerent, docet locus Luc. IV, 18., ubi loco Iesaiano ad se accommodato dicit, se venisse, ut laetum nuntium afferat *πτωχοις*. Ceterum haec loci nostri ex consuetudine Psalmorum explicatio commendatur eo, quod in hoc ipso loco nonnullae phrases ex Psalmis depromtae sunt (*κληρονομειν την γην, καθαροι τῃ καρδιᾳ*). V. longam disputationem super ea re ap. Fleck. *de regno div.* p. 164 — 172.

spiritualem induxit. Qua in re autem accommodationem, quam dicunt, adhibuisse Iesum haud dixerim; nam Messiam se esse non simulavit, sed re vera persuasum habuit, et diserte professus est [193]). Alium Messiam, nisi talem, qualem ipse

193) Messiam se professus est coram populo in oratione mont. Matth. V.; coram discipulis Matth. XVI, 13—20.; coram muliere Samaritica Ioa. IV, 25. 26.; coram Pontifice Matth. XXVI, 23. 24.; coram Pilato Ioa. XVIII, 37.; in precibus coram Deo Ioa. XVII, 4.; passim appellatione filii hominis ex Dan. VII, 13. in se translata. Quod Matth. XVI, 20. discipulis interdicit, ne Messiam se esse enuntient, id temporaria cautio fuisse videtur. Responsum, quod dedit Ioanni Baptistae, an ipse sit Messias, interroganti (Matth. XI, 4. sq.), immerito quibusdam anceps visum est. Propter adstantem populum aenigmatico dicendi genere usus Iesus, duobus locis Iesaianis ad rem accommodatis (Ies. XXXV, 5. 6. LXI, 1.) quae de Messia intelligebat (conf. Luc. IV, 18.), significavit, se ea facere, quae Messiam facturum esse Iesaias propheta ibi praenuntiasset, scil. se miseris salutem annuntiare et solatium praebere, eos instituere etc. Videtur autem is locus interpolatus et secundum illa loca Iesaiana ita restituendus: *πορευθεντες ἀπαγγειλατε Ἰωαννῃ, ἁ ἀκουετε και βλεπετε. Τυφλοι ἀναβλεπουσι, και χωλοι περιπατουσι· κωφοι ἀκουουσι και πτωχοι εὐαγγελιζονται.* Quae verba a Christiano librario miraculorum amante ita, uti nunc leguntur, amplificata, et ad miracula a Iesu patrata, de quibus Iesus minime locutus erat, tracta esse videntur. Alius, miraculis magis adhuc inhians, adiecit, Iesum eo ipso tempore, quo legati Ioannis advenissent, varios morbos curasse (Luc. VII, 21.). Certe Ioanni, avide, ut videtur, initiationem regni Messiani exspectanti Christumque ad id instituendum adhortanti, ita respondere Iesus non potuit, ut ad miracula patrata provocaret, quae illi satis innotuerant. V. Fleck. *de regno div.* p. 87-133.

se praebebat, cogitare non potuit. Neque ab initio dubitasse videtur, quin populares, simulac verae salutis viam iis monstrasset, hanc se duce ingressuri essent. Quod omnibus, qui pura incorruptaque animi indole gaudent, accidere solet, ut nimis bonam de hominibus habeant opinionem, id Iesu accidisse videtur, qui, in rebus coelestibus habitans, in terrestribus peregrinans, amore humani generis plenus, rei suae optima quaeque augurabatur. Speravit fore, ut non solum discipuli, licet rudes et indocti, sublimem suam de regno divino doctrinam amplecterentur, sed etiam universus populus, paucis licet, Pharisaeis praesertim, reluctantibus et contra rem ipsius pugnantibus, ad regnum sacrum a se condendum accederet. Qua fiducia fretus, cum discipulos in oppida Israelitarum mitteret, ut regnum divinum annuntiarent, iussit eos in persecutionibus et calamitatibus, quas iis haud defore praevidebat, bono animo esse, promittens, fore, ut, priusquam totam regionem peragrassent, Messianam dignitatem adeptus de inimicis triumpharet (Matth. X, 23.) [194]. Sed

---

194) Qui effati sensum ita constituunt, ut Iesus nonnisi hoc significare voluerit, se rursus Apostolis affuturum, priusquam totam regionem peragrassent, non animadverterunt, verbum ἔρχεσθαι de Messia adhibitum semper eius adventum ad regnum inaugurandum denotare (Matth. XXIV, 44. al.). Ceterum si Iesus nonnisi hoc dicere voluisset, non opus fuis-

multum eum fefellit opinio tum de discipulis, tum de populo universo. Illos vulgaribus de Messia eiusque regno imbutos opinionibus, nihil nisi dominationem spirantes, in suam de regno divino sententiam frustra adducere studebat; hic ad miracula spectanda et eloquentiam admirandam undique concurrebat, multi etiam eum prophetam venerabantur; pauci, quid vellet, capiebant. Quae cum ita essent, vel ab incepto prorsus erat desistendum, vel imbecillitati popularium quodammodo parcendum. Quod si Iesus aperte declarasset, se nihil nisi societatem sacram instituere velle, ideoque ab omni Messianae felicitatis spe abstinendum esse: sane ab omnibus desertus et explosus esset. Necesse itaque ei fuit, quam in praesentia praestare nec volebat nec poterat felicitatem, eam saltim in futurum tempus promittere. Locutus igitur est de futuro suo ad regnum Messianum instituendum adventu, de iudicio habendo, de aeterna piis doctrinae suae adseclis destinata felicitate et aeternis improborum poenis, sperans fore, ut his promissis ad doctrinam suam allectos animos sensim sensimque ad veram pietatem probitatemque et sublimiorem de regno Messiano sententiam perduceret. Sed et haec eum fefellit spes.

---

set gravi asseverandi formula: *ἀμην λεγω ὑμιν*. Plura occurrunt ap. Fleck. *de regno div.* p. 333 sq.

Messianae felicitatis, licet in futurum tempus reiectae, exspectatio nihilominus animos occupatos tenebat, abstrahebatque ab eo, quod Iesus intendebat. Praeterea verendum erat, ne, exspectationi eventu haud respondente, fraudis eum accusarent, remque eius prorsus desererent. Hic nodus expediri non potuit nisi morte Iesu. Iure suo sperabat, discipulos, si mortuus esset, spem terrestris regni penitus abiecturos, animumque ad coelestia directuros [195]. Mortem igitur sibi esse subeundam intellexit, subire nullus dubitavit [196].

---

195) Sive, ut Iesu verbis utar, spiritum sanctum ad veritatem cognoscendam eos adducturum.

196) Sponte vident lectores, me sumere, Iesum non nisi aliquo tempore post munus initum mortis subeundae necessitatem sensisse consiliumque cepisse; id quod locis Ioa. II, 19. III, 14. 15. repugnat. Quod ad priorem locum attinet, inter omnes melioris notae interpretes constat, Ioannem Apostolum ex rebus postea gestis effatum Iesu falso interpretatum esse. Vid. Henkii progr. *De Ioanne apophthegmatum I. C. in Evangelio suo interprete.* Helmst. 1798. et Gableri censuram huius libelli in *Neuest. theol. Journ.* Vol. II. (1799) p. 79 sqq. (Vulgarem tamen opinionem defendere haud dedignatus est Sveskindivs in Flattii *Magaz.* Part. IV. p. 212 sq.) Loci posterioris fidem itidem in dubium revocaverim. Ad colloquium, quod h. l. Iesus cum Nicodemo habuisse traditur, nullos testes admissos fuisse, inde colligitur, quod Nicodemus nocte ad Iesum venisse fertur. Voluit is sine dubio de hoc conventu Iudaeos celare, quare necesse erat, omnes testes removeri. Discipulos, eosque familiarissimos, in quorum numero Ioannes fuit, ab eiusmodi congressibus Iesu cum clan-

Neque solum hoc modo causae suae optime consuluit, sed gravissimo animi desiderio satisfecit.

---

destinis amicis seclusos fuisse, docet narratio de Christi in monte transfiguratione, si hanc mythihistoriam, quae a re in facto posita manasse videtur, secundum Pavli sententiam explicare liceat; docet silentium, quod tenent Evangelistae circa commercium, quod Iesus cum aliis amicis e. gr. Iosepho Arimathaeensi habuit (conf. Ioa. XII, 42. XIX, 38.). Ceterum errant, qui Apostolos a latere Iesu nunquam discessisse putant. Quomodo igitur hoc cum Nicodemo colloquium in notitiam Ioannis Apostoli venit? Iesum id narrasse, sumi non potest, eandem ob causam, ob quam colloquium clam habitum fuisse sumsimus. Nihil itaque relinquitur, nisi ut Apostolum a Nicodemo rem audivisse statuamus; quod autem ante I. C. mortem factum esse haud existimem. Quo posito sponte intelligitur, ea, quae Iesus ante nonnullos annos allegorice dixisset, vel a Nicodemo, vel ab Ioanne, ex rebus post factis falso explicari potuisse; id quod eo verisimilius est, quod verbum ὑψουσθαι, alibi etiam de morte Iesu obvium (Ioa. VIII, 28. XII, 32. 34.) Ioannis proprium esse videtur. Ceterum recte monet Gablervs l. l. p. 93., Ioannem in sermonibus Iesu, longioribus praesertim, referendis non eam praestitisse ἀκρίβειαν, ut suspicioni, nonnulla falso relata esse, plane non sit locus. In oratione seriori tempore habita Ioa. VI. potuit omnino Iesus mortem suam praesignificare, et significavit sine dubio verbis v. 62. relatis; quae autem praecedunt de sanguine et carne vescenda falso ab Evangelista ad mortem Iesu Christi tracta esse, persuasum habeo. Contrariam sententiam tuetur Flattivs in tractatu: *Lässt sich die Ueberzeugung Jesu von der Gewissheit und moralischen Nothwendigkeit seines frühen Todes aus einem rationalistischen Gesichtspunkt betrachten?* in *Magazin für christl. Dogmat. etc.* Part. 12. p. 3 sqq. Ceterum de consilio vitae I. alia tentat Hasivs *d. Leb. Jesu* p. 85 sq. 112. 113.

Nimirum quo laetiorem ab initio de regno divino in terris condendo spem aluerat, eo magis postea animo afflictus et moestitia depressus fuisse videtur. Hominum perversitatem, malitiam, coecitatem satis superque expertus, sacro cuidam dolori atque moerori se dedit, qui eum inter vivos diutius morari vetabat [197]). Exsulere quasi in terris se sentiens, coelestem patriam repetiit.

Internae huic mortis oppetendae necessitati accessit externa. Liberiore doctrina, qua rei Leviticae interitum minitabatur, et severa procerum, Pharisaeorum praesertim, de sceleribus et fraudibus reprehensione tantam invidiam sibi paraverat, ut, nisi veritatem deserere et prodere vellet, insidiis inimicorum succumbendum esset. Mortem igitur, quam causae suae utilem fore intelligebat, quamque animus a rebus terrestribus avocatus appetebat, ei necesse non fuit sponte quaerere, sed tantum non turpiter fugere [198]).

---

197) Hoc dolore plenus illa verba pronuntiavit (Matth. XXIII, 37.), quibus popularium, salutem veram reiicientium, sortem deploravit. Vid. Nitzschii prolus. II. *De mortis a Iesu Christo oppetitae necessitate morali* p. 17. In hoc pii animi sensu propriam religionis Christianae indolem cerni, recte vidit Schleiermachervs, Collega coniunctissimus, (*Reden über die Religion* p. 349. ed. 2.) Fleck. *de regno div.* p. 202.

198) Necessitatem mortis Iesu naturalem monstraverunt auctor Comment.: *Bemerkungen über die Nothwendigkeit des*

§. 24.

Etsi Iesum in iis, quae fecit sensitque, ab aliorum auctoritate pependisse, plane negandum est; tamen non repugnem, si placeat statuere, eum quibusdam V. T. locis, ad rem suam accommodatis animum ad mortem subeundam firmasse, praesertim cum pluribus locis mortis necessitatem prophetarum effatis prabasse dicatur (Matth. XXVI, 24. Marc. IX, 12. XIV, 49. Luc. XVIII, 31 sqq. XXII, 22. 37. XXIV, 26. 27. 44 sqq.). Quaenam illa sint, necesse nobis est inquirere, quo, si fas est, eorum locorum ope consilium mortis a Iesu oppetitae clarius adhuc perspiciamus.

Docuit Pavlvs [199]), oracula vulgo Danieli tributa non solum maximam vim habuisse ad Messiae exspectationem, quam Iudaei Iesu aetate foverent, alendam et confirmandam, sed Iesum

---

Todes Jesu aus rationalistischem Gesichtspunkt betrachtet in Gableri *Journ. f. theol. Liter.* Vol. III. part. 3. et Nitzschivs in prol. laud. Negavit illam et supranaturalismi quem dicunt in hac re causam suscepit Flattivs in tract. laud. Sed etiamsi historia Evangelica pericula, in quibus Iesus versatus est, inevitabilia illa, tacuisset: historia tamen universa nos doceret, hominem tali animi indole praeditum, et tale opus aggressum, non potuisse non inimicis succumbere.

199) In *Comment. in N. T.* T. III. in Excurs. *Ueber den nächsten Ursprung der messianischen Erwartungen.* Fleck. *de regno div.* p. 35 sq. 117 sq.

etiam eorum rationem habuisse in iis, quae sibi facienda patiendaque essent, augurandis. Probat vir doctissimus illo potissimum effato, a Iesu coram Pontifice edito (Matth. XXVI, 64.), quo aperte ad Dan. VII, 13. alludit; quod melius tamen probare potuit, nisi falsa interpretatione impeditus esset, appellatione *filii hominis*, qua Iesum se semper nuncupasse, miro trium priorum Evangeliorum et Evangelii Ioannis, alias haud raro inter se discrepantium, in hac re consensu constat, et quam e loco Dan. VII, 13., ubi Messias filio hominis i. e. homini similis in nubibus apparens sistitur, depromtam, et a Iesu eo sensu adhibitam esse, ut Messianam dignitatem profiteretur, verissima plurimorum interpretum sententia est [200]. Iam vero quemadmodum futurum rei suae triumphum e loco Danielis collegisse videtur: sic etiam alio eiusdem prophetae loco mortem praesignificatam invenire potuit. Sunt enim Dan. IX, 26. verba: יִכָּרֵת מָשִׁיחַ, quae, contextus nulla ratione habita, aperte mortem Messiae docere videntur. Quod versio Alexandrina, alium prorsus sensum exhibens, nihil de morte Messiae habet [201]), id

200) Vid. Flattivm l. l. p. 10. Fleck. *de regno div.* p. 105 sq.

201) Habet ita: *ἀποσταθησεται χρισμα.* Flattivs posuit *ἐξολοθρευθησεται χρισμα,* quae sunt verba Theodotionis, cuius versionem in vulg. editt. versionis Alexandr.

non impedit, quominus Iesum, qui sine dubio textum Hebraicum legere solebat [202]), haec verba sensu, quem per se spectata continent, accepisse statuamus. At obiicit FLATTIVS [203]), non potuisse Iesum in hunc sensum incidere ob sequentia verba, quae ex lectione Masorethica sensum praebeant plane contrarium. Legitur scilicet in nostris codicibus: וְהָעִיר וְהַקֹּדֶשׁ יַשְׁחִית עַם נָגִיד הַבָּא i. e. *et urbem et sanctuarium perdet populus principis venturi.* Eum autem, qui נָגִיד הַבָּא dicitur, eundem esse putat FLATTIVS, qui v. 25. מָשִׁיחַ נָגִיד appellatur: non potuisse igitur Iesum priora verba de morte sua intelligere, nisi in sequentibus cum LXX. legerit pro עַם, עִם, et cum iis ita verterit: *και την πολιν και το άγιον διαφθερει συν τῳ ἡγουμενῳ τῳ ἐρχομενῳ*; parum vero credibile esse, Iesum in uno loco lectionem Masorethicam, in altero Alexandrinam sequutum esse. Quod etiamsi sumi liceat, tamen verosimile non

---

receptam esse notum est. Vtraque haec versio manavit ex lectione מִשְׁחָה, quod THEODORETVS a. h. l. explicat de dominatione familiae Herodis et Pontificum non secundum legem unctorum. Conf. BERTHOLDTVM a. h. l.

202) Iesum Christum lingua Graeca et versione Alexandrina usum esse, quod contendit PAVLVS in libello: *Verosimilia de Iudaeis Palaestinensibus, Iesu etiam et Apostolis non Chaldaea sola, sed Graeca quoque lingua Aramaizante locutis*, mihi quidem nondum probari potuit.

203) L. l. p. 11.

esse, Iesum mortem suam in eiusmodi loco invenisse, qui exstirpationem Messiae eodem tempore cum destructione templi et urbis eventuram doceat, quam ipse post mortem suam demum eventuram significaverit (Luc. XX, 15. sq. Matth. XXIV, 4. sqq.). In qua doctissimi viri argumentatione omnia falsa et perversa sunt. Primum falsum est, נגיד הבא eundem esse, qui antea מש' נג' dicitur; ille enim distinguitur ab hoc per epitheton הַבָּא, sub quo Christus imperatorem Romanum facile intelligere potuit. Deinde nihil obstat, quominus Iesum priori loco cum textu Masorethico fecisse, posteriori vero lectionem עִם adhibuisse sumamus, cum puncta vocalia illis temporibus nondum in usu fuerint; licet hanc duplicem lectionem Iesu tribui non oporteat, siquidem נגיד ה' diversus est a משיח. Denique sensus: urbem et sanctuarium deletum iri una cum *τῷ ἡγουμένῳ τῷ ἐρχομένῳ*, si eum Iesus admisit, minime pugnat cum eius praedictionibus de destructione urbis post mortem suam eventura; in oraculo enim id, quod *paulo post* aliud eventurum esset, *cum* eodem eventurum esse dici poterat. Sed alia ratione ductus hunc locum de morte sua intellexisse Iesum nego. Is enim in lectione Vet. Testamenti, licet nostrae exegeseos grammatico-historicae rudis, contextus tamen non adeo negligens esse potuit, ut locum, quem de regibus agere res ipsa docet,

de Messia intelligeret, praesertim cum nihil ibi habeatur, quod Iesu eiusque rationibus accommodatum sit, nihil, quod ad doctorem religionis, qualis ille fuit, referri possit. Sed etiamsi ponamus, Iesum huius loci, ita intellecti, rationem habuisse in morte eligenda; non video, quam inde percipiamus utilitatem; nam nihil inde discimus de consilio mortis eius, quod ipsum cognoscere volumus [204]).

Certe contra constat, locum Ies. LII, 13. — LIII, 12. in eorum vaticiniorum numero esse habendum, quae Iesus de morte sua interpretatus sit. Luc. XXII, 37. verba: *in numero maleficorum habitus est* (Ies. LIII, 12.), in se exitum habitura esse dicit, quo quidem testimonio nihil potest esse clarius certiusque. Obiicit quidem Pavlvs [205]), ex dictionis huius quasi proverbialis allegatione inferri non posse, totius oraculi, unde illa depromta, accommodationem ad Iesu mortem esse factam. Verum quae illo loco adduntur: *και τα περι ἐμου τελος ἐχει*, docent, respici ad plura alia de Iesu praesignificata, quae haud dubie in eodem oraculo quaerenda sunt. Confirmant illud testimonium alia N. T. loca, in quibus ad Ies.

204) Fuerunt tamen etiam nonnulli Hebraeorum interpretes, qui hunc locum de Messia interpretati sunt. Vid. Christ. Helvici *Elench. Iudaeor.* IV. p. 5.

205) In *Clavi in Ies.* p. 361.

LIII. respicitur, Marc. XV, 28. 1 Petr. II, 22. 24. 25. Matthaeus quidem c. VIII, 17. aliam accommodandi rationem sequitur, quippe qui locum Ies. LIII, 4. ad morbos a Iesu sanatos referat. Tamen non sequitur, quae in oraculo de morte iusti dicta sunt, non esse de morte Iesu ab Apostolo intellecta. Videtur is alia putasse de iis dicta, quae Iesus per vitam suam fecisset, alia de eius morte. Neque e loco Act. VIII, 35. demonstrari potest, accommodationem oraculi Ies. LIII. ad Iesu mortem Apostolis fuisse inusitatam. Vrget nempe Pavlvs l. l. verba *ἀρξαμενος ἀπο της γραφης ταυτης*, quae putat non ita esse intelligenda, quasi Philippus locum de morte Iesu explicaverit, sed nihil dicere, nisi Philippum ab eo exorsum esse. Sed qui inde progredi potuit ad universam de Christo doctrinam, nisi eum de huius morte interpretatus est? Atque si locus, quem Aethiops legebat, ad rem Christianam nihil pertinebat, cur Lucas eum integrum excerpsit? Potest etiam hoc pro nostra sententia afferri, quod alii loci Iesaiani e capp. XXXIV. et LXI., quorum posterior cum pericope nostra arcte cohaeret, ab Iesu ad rem suam accommodati sunt. Denique hoc oraculum ita comparatum est, ut, si ullum Iesus ad mortem suam retulerit, certe hoc retulerit necesse sit. Quodnam enim, quaeso, aliud tam facile accommodari potuit ad Iesu passionem mortemque? Quid?

quod non solum accommodari potuit ad Iesu fata, sed de his agit. Nam quemadmodum Iesus doctrinae ratione prophetis similis erat [206]), ita etiam ratione fatorum. Illi, ut Iesus, invidiam, odium, persecutionem, internecionem experti sunt. Illi, ut Iesus, omnes vexationes ipsamque mortem constantissime tolerantes, veritatem, quam profitebantur, confirmarunt. Illi, ut Iesus, dum vivebant, ab inimicis oppugnati, a paucis tacito pectore culti, a paucioribus palam probati, morte suscepta summam nacti auctoritatem, plurimos sibi conciliarunt amicos atque cultores. Denique illi, ut Iesus, veritatem morte professi, generi humano maximam utilitatem attulerunt, et verae eius saluti consuluerunt. Comparasse vero Iesum suam sortem cum sorte prophetarum docent loca Matth. XXI, 33 sqq. Luc. XX, 9 sqq. [207]) XXIII, 34 sqq. Ceterum non potest nobis obiici, Iesum in oraculi illius de prophetarum fatis explicationem incidere

---

206) Prophetae, sicut Iesus, verae theocratiae notione imbuti, et pii animi sensum omnibus caerimoniis et ritibus externis anteponentes, superstitioni et tyrannidi sacerdotum, regum et procerum se opposuerunt.

207) Flattius, parallela apud Matthaeum exstante parabola prorsus neglecta, contendit, Iesum multo duriorem sibi sortem auguratum, quam prophetae experti essent, in hac parabola vexationibus illorum suam mortem violentam opposuisse, cum tamen Matth. XXI, 35. diserte dicatur, nonnullos etiam prophetas necatos esse.

non potuisse, cum supra satis docuerimus, eam, si a difficultatibus quibusdam discesseris, quae tamen ad summam rei non pertinent, tam facilem inventu esse, ut lectori attento et contextus rationem habenti quasi in oculos incurrat.

Iam si ad hoc oraculum in mortis subeundae consilio capiendo Iesum respexisse constat, simul apparet, nos supra de rationibus, quibus ad illud adductus fuerit, recte iudicasse. Voluit Iesus, veterum prophetarum more, morte sua doctrinae veritatem profiteri, sperans fore, ut difficultatibus, quibus, se vivo, pressam videbat, morte sua superatis, victrix tandem illa evaderet, et, vanis de Messia opinionibus destructis, in hominum animos vim suam salutarem exsereret [208]).

SECTIO POSTERIOR.

Quid Iesus de morte sua professus sit.

§. 25.

Quae de consilio ac fine mortis Iesu exstant eius effata, pauca illa quidem et brevia, ex iis quae praemissa sunt, sine magno negotio intelli-

---

208) Conf. Nitzschii prol. laud.

gemus. Ioa. X, 15. dicit Iesus, se vitam positurum pro suis, i. e. pro salute eorum, uti patet e loco parallelo cap. VI, 51. Haec vox, per se spectata, explicatione non egere videtur; quisque enim intelligit, talem mortem, qualem Iesum suscepisse docuimus, pro salute hominum susceptam dici posse. Sin autem alia loca conferimus, de utilitate, quae ex morte Iesu in genus humanum redundaverit, aliter statuendum est. Matth. XX, 28. mortem suam dicit Iesus *λυτρον αντι πολλων*. Vocabulum *λυτρον*, in quo totius sententiae vis sita est, respondet in Vers. Alex. Hebraicis פִּדְיוֹן vel כֹּפֶר (Num. XXXV, 31. al.), quae plerumque designant id, quod pro avertenda poena vel vindicta datur, v. c. pecunia, quae pro supplicio avertendo solvitur (Exod. XXI, 31.), munus, quod datur ad placandam iram mariti adulterio offensi (Prov. VI, 35.). Respondet etiam Hebraico מְחִיר, quod Ies. XLV, 13. denotat pretium, pro redimendo captivo solutum; quae autem significatio huc non pertinere videtur, sicut eius etiam aliae. Priori illi significationi si insistimus, sensus huius loci est, Iesum eo consilio hominem esse factum, ut morte sua homines a poenis debitis liberaret, et quidem a poenis peccatorum, quod docet locus Matth. XXVI, 28., ubi sanguis Iesu effusus esse dicitur *ad remissionem peccatorum*. Quanam ratione ac modo mors Christi hanc peccatorum re-

missionem poenarumque liberationem effecerit, nullum Iesu effatum docet. Cogitant quidem plerique de expiatione sanguine Iesu facta; at vocabulum *λυτρον* neque apud Graecos [209]), neque in Vers. Alex. [210]) de piaculis in usu est, neque etiam Hebraica כֹּפֶר et פִּדְיוֹן hoc sensu usurpata occurrunt [211]). Lucem nostro loco praebent duo V. T. loca, supra a nobis illustrata (§. 7.), Prov. XXI, 18. et Ies. XLIII, 3., ubi vocabulum כֹּפֶר de substitutione unius in locum alterius in malis tolerandis usurpatur. Quae si sequimur, sensus est, a vulgari explicatione haud valde ille abhorrens: Iesum mortem passum esse loco peccatorum, qui ipsi poenas dare debebant. Docent autem loca supra allata, eiusmodi locutionem non esse proprio sensu accipiendam et ad vivum resecandam. Quemadmodum in proverbio illo Prov. XXI, 18.

---

209) Vid. Stephani *Thes.* s. h. v. Locus, quem Kypkivs ad Matth. XX, 28. ad probandam hanc vocis potestatem e Lvciano affert, ubi Ganymedes Iovi dicit: quod si me dimittes, polliceor *και ἀλλον παρ᾽ αὐτου κριον τεθυσεσθαι λυτρα ὑπερ ἐμου*, nihil probat; hoc enim arietis sacrificium non est piaculum, sed redemtionis pretium *(Lösegeld)*. Neque Grotivs aliud argumentum afferre potuit, nisi cognati vocabuli Latini *lustrum* analogiam. *(De satisfact.* c. VIII.)

210) Vid. Trommii *Concord.*

211) Falso Kvinoelivs in *Comm. ad Matth.* XX, 28. *λυτρον* significatione hostiae piacularis Lev. X, 17. occurrere contendit, in quo loco verbum quidem כִּפֵּר, non autem substantivum כֹּפֶר exstat, neque LXX *λυτρον* habent.

improbus metaphorice tantum λυτρον iusti dicitur, sic etiam Christus peccatorum λυτρον nonnisi improprie dici potest[212]. Ceterum credibile est, Iesum, cum ita de morte sua loqueretur, respexisse ad Ies. LIII., quo loco per allegoricum dicendi genus prophetae popularium vice mala mortemque tolerasse dicuntur, cuius locutionis sensum ita constituimus: prophetas, doctrinam suam constanti animo ad internecionem usque profitendo, populi saluti consuluisse. Quam ob rem nihil aliud dicere voluit Iesus, nisi mortem suam saluti fore generi humano, ea quidem ratione, ut doctrina sua, per mortem confirmata, homines a peccatorum miseria liberaret[213].

Aliud de mortis suae vi et consilio effatum pronuntiavit Iesus, cum coenam sacram institueret (Matth. XXVI, 28. coll. Marc. XIV, 24. Luc. XXII, 20.). Comparat hic mortem suam cum sacrificio illo, quo foedus Iehovae cum populo Israe-

---

212) Sic Philo *de sacrif. Abel. et Cain.* p. 151 sq. λυτρον metaphorice usurpat de sapientibus, quos improbis salutem conciliare dicit: *πας σοφος λυτρον ἐστι του φαυλου.* Hanc metaphoricam vocabuli λυτρον significationem adhibuerunt sine dubio Schleusnerus, Paulus al., cum λυτρον de quovis modo liberandi aliquem ex misero statu, h. l. autem a peccatorum vi, explicarunt.

213) In hac vocabuli λυτρον explicatione metaphorica cum Socino consentire haud veremur, quem Grotius l. l. frustra in hac re refutare conatus est.

litico sancitum est (Exod. XXIV.) [214]). Matthaeus solus verba addit: *εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιων*, quae, cum sacrificium foederis non simul expiatorium sit, neque sine ratione idonea duarum diversarum metaphorarum usus Iesu tribui possit, pro seriore interpretamento habere licebit *). Quibus reiectis relinquitur integra mortis Iesu cum sacrificio foederis comparatio, qua Iesus significare voluit: morte sua religionem, quam induxerit, confirmatum stabilitumque iri. Eaque sententia nihil potest cogitari aptius. Sancitam esse Iesu morte religionem Christianam, quis unquam dubitavit? Vsus igitur est Iesus diversis diverso tempore metaphoris ad consilium mortis significandum. Quae ipsa locutionum diversitas nos monet, proprium in iis non esse sensum captandum. Neque enim eadem mors nunc *λυτρον*, nunc sacrificium foederis esse potest.

§. 26.

Praeter ea, quae cum maxime recensuimus, dicta, nullum ab Evangelistis traditum est, quo Iesus mortis suae vim et efficaciam declaraverit.

---

214) Verba: *Τουτο ἐστι το αἷμα μου, το της καινης διαθηκης* nullum alium sensum habere possunt, nisi hunc: sanguine meo novum foedus (religio) sancietur, quemadmodum vetus illud sanguine victimae sancitum est.

*) V. Schvlz. *d. chr. Lehre v. h. Abdm.* p. 275. 276.

(Conf. Not. 198.) Iam cum illa de hac morte, tamquam piaculo pro hominibus oblato, nihil prorsus dicant, doctrina de morte Iesu expiatoria testimonio Christi plane destituitur. Id quod qui religionis Christianae summam atque caput illam esse contendunt, non perpendisse videntur. Nos vero ii non sumus, qui illam doctrinam ab Apostolis esse traditam negemus 215); ac potius ultro concedimus, id non potuisse fieri, nisi Iesus eius generis quid docuisset. Ponamus itaque necesse est, Iesum, quemadmodum mortem suam nunc λυτρον, nunc sacrificium foederis dixit, ita etiam sacrificii piacularis imagine usum fuisse; id quod eo probabilius est, quo aptius oraculum Ies. LIII., cuius tanta apud Iesum auctoritas fuisse videtur, hanc imaginem suppeditare poterat. Ibi enim prophetae, qui in populi salutem calamitates mortemque toleraverant, cum piaculo pro populi peccatis oblato comparantur. Num vero id, quod a scriptore Vet. Test. improprio sensu dictum esse intelleximus, proprio sensu a Christo adhibitum esse existimabimus? Negandum quidem non est, Apostolos hanc metaphoram a Iesu propositam proprie intellexisse; at valde dubito, in eorum auctoritate acquiescendum esse ei, qui suis velit

---

215) Id cum ab optimis interpretibus concedatur, hic probare supersedemus.

oculis uti cum in religione universa, tum in ea Christianismi parte, quae pro Iesu doctrina habenda sit, investiganda. Etsi enim Apostolorum innocentiam, integritatem, pietatem, fervorem et ἐνθουσιασμον ea, qua par est, veneratione agnoscimus; dissimulare tamen non possumus, fuisse eos non solum variis superstitionibus et falsis opinionibus imbutos, sed tam indociles quoque et tardos, ut, si Iesus paulo obscuriore loquendi genere uteretur, eum prorsus non intelligerent. Exempla multa Evangelia exhibent, omnibus nota, e quibus tantum afferamus, quae ad ultimum vitae Iesu tempus pertinent, ne quis dicat, Apostolos non nisi ab initio tam rudes socordesque se praebuisse. Vltimo vespere ante mortem dixit Iesus discipulis, ut animos fractos erigeret, se ei, qui praecepta sua observaverit, appariturum esse (*και ἐμφανισω αὐτῳ ἐμαυτον* Ioa. XIV, 21.), quod sine dubio sensu *πνευμάτικῳ* intelligi voluit. Iudas vero Apostolus de externa quadam manifestatione cogitans, interrogavit, cur non *τῳ κοσμῳ* etiam appariturus i. e. ad regnum Messianum inaugurandum adventurus esset? Eodem tempore iis dixisse fertur (Luc. XXII, 36.), iam crumena, pera gladioque instructos eos esse oportere, innuens, iam persecutiones et insidias eos manere. Illi autem, proprie intelligentes, duos gladios praesto esse responderunt. Certe homines, qui

ita erant *ἀνοητοι και βραδεις τῃ καρδιᾳ* (Luc. XXIV, 25.), ea capere non potuerunt, quae Iesus de mortis suae vi salutari allegorice dixisse videtur.

Quidni autem Iesus Christus discipulos de mortis suae consilio et fine plano sermone edocuit, et ita omnibus, qui ex allegorico dicendi genere manarent, erroribus prospexit? Respondemus eius verbis, quae paulo ante mortem discipulis dixit: *ἐτι πολλα ἐχω λεγειν ὑμιν, ἀλλ' οὐ δυνασθε βασταζειν ἐτι* (Ioa. XVI, 12.). *) Quemadmodum regni terrestris exspectationem, quam fovebant, aperte refutare merito est veritus: ita etiam de morte sua, huic exspectationi adversa, libere eum loqui prudentia vetuit. Potuitne iis, qui rebus *σαρκικοις* prorsus erant intenti, ingenue fateri, fore, ut, falsis de se suaque re opinionibus morte sua sublatis, vera regni divini notio *πνευματικη* elucesceret? Evellens eorum animis hos errores, labefactasset simul, vel adeo evertisset omnem eorum de doctrina sua persuasionem. Vt vero intactos illos relinqueret, eo magis ab animo impetrare potuit, quod in instituendis hominibus eam sequebatur rationem, ut non tam placitis et dogmatibus quibusdam eos imbuere, quam pietatis sensum in eorum animis excitare studeret; id quod ii

*) Excelsam Christi indolem, a discipulis, vivo Iesu, nunquam vere perceptam, ex h. vv. iure munit Fleck *de regno div.* p. 480.

neglexisse videntur, qui dogmatibus in religione tantum pretium constituunt, ut eum, qui unum vel alterum reiiciat, Christiano nomine indignum censeant.

§. 27.

Restat, ut monstremus, plane non potuisse Iesum, pro religionis suae natura ac indole, doctrinam de morte sua expiatoria tradere. Ac primo quidem hanc doctrinam non potuit tradere *sensu proprio*, quippe qui, veterum prophetarum more, externas in religione res nihili faciens, internis tantum intentus, ab iis, qui in regnum divinum intrare vellent, solam pietatem probitatemque postulaverit, nec unquam ulla alia re, nisi hac pietate probitateque ad beatitatem assequendam opus esse, professus sit. Notum est illud sublime et vere divinum effatum: *πνευμα ὁ θεος· και τους προςκυνουντας αὐτον, ἐν πνευματι και ἀληθειᾳ δει προςκυνειν* (Ioa. IV, 24.), quod qui recte intelligit, nobis concedat oportet, Iesum praeter proprium intimumque pii animi sensum in religione reliqua omnia pro nihilo duxisse, nominatim sacrificia et ritus externos prorsus reiecisse. Iam vero si expiatione morte sua facienda opus esse docuisset, sibi ipse repugnasset. Supra enim monuimus, expiationem hominis morte perpetratam nihil differre ab ea, quae fiat animalis immolatione. Neque potest obiici, sacrificium *θεανθρωπου*, qualis fuerit Iesus, aliter esse aestimandum. Nam si spectamus vim, quam eiusmodi

sacrificium in animos hominum exserit, id non minus, quam ullum aliud, pietatem enervat, quippe quod menti peccatorum consciae quietem paret, quam ipsa suis viribus sibi quaerere debet [216]. In ea maxime re cernitur divina religionis Christianae virtus, quod hominem, externa ope exutum, in suo pectore salutem quaerere iubet.

Neque vero doctrinam de morte sua expiatoria tradere potuit Iesus *sensu symbolico*. Docet enim illud ipsum effatum, voluisse eum religionem condere, a qua omnes omnino caerimoniae ceteraque symbola removerentur. Symbola sacra in superstitionem vertere, docuit eum cultus Mosaici exemplum, quare ea prorsus abiicere satius duxit. Solo baptismo, ab Ioanne Baptista inducto, qui non ad religionem ipsam, sed ad initiationem tantum pertineret, sine religionis suae detrimento se uti posse putavit, futurum eius abusum haud praevidens. Quod autem ad sacram coenam attinet, dubitari potest, num eam, tamquam ritum, omnibus suae religionis cultoribus observandum, instituerit [217]; ad religionem ipsam eam certe non

216) Id tamen non ita intellectum volumus, quasi doctrinam de satisfactione Christi cum vera pietate non posse coniungi doceamus. Sed id tantum affirmamus, mortis expiatoriae ideam per se spectatam inertiae humanae favere.

217) Vid. Sveskindii Comment. *Hat Jesus das heil. Abendmahl als einen mnemonischen Ritus angeordnet?* in *Magaz. für christliche Dogmatik* Part. XI. et Krug. *Eusebiol. od. philos. Religionsl.* p. 241. 242.

pertinere, nisi cum doctrina de morte Iesu expiatoria coniungatur, res ipsa satis declarat.

§. 28.

Hoc de morte Iesu vicaria dogmate, licet ab Iesu religione alieno eiusque auctoritate destituto, neque a superstitione Iudaica plane libero, ita tamen usi sunt Paulus Apostolus et auctor epistolae ad Hebraeos, ut maxima inde ad religionem Christianam redundarit utilitas. Hic enim huius doctrinae ope Iudaicam superstitionem, cui pars Christianorum adhuc adhaerebat, feliciter oppugnavit, ita ut unico et summo Christi sacrificio omnia alia sacrificia inutilia esse reddita et abolita demonstraret. Ille, sublimi et vere pia de fide et gratia Dei doctrina ad nostram doctrinam adiuncta, ita meritus est de religione Christiana, ut alterum Christum eum appellare possis. Neque negandum est, nostram doctrinam, ita auctam atque exornatam, summa dignam esse admiratione, et cuilibet, qui, quod vere pium est, sub quocunque latet involucro, agnoscere potest, religiosissime colendam. Oportet tamen libere in eam inquirere, et quicquid superstitionis ei adhaereat, diligenter discernere et agnoscere, quo, ab hac ut sibi caveat, et ad id, quod verum in ea sanctumque sit, se convertat, pia mens admoneatur.

DISSERTATIO CRITICA

QVA A PRIORIBVS

DEVTERONOMIVM PENTATEVCHI
LIBRIS DIVERSVM,

ALIVS CVIVSDAM RECENTIORIS AVCTORIS

OPVS ESSE MONSTRATVR.

Pentateuchum non esse a Mose conscriptum, sed seriori aetate ortum, nostris diebus, postquam tam multum tamque docte atque sagaciter hac de re disputatum est, neminem adhuc esse puto, qui neget, praeter eos, qui auctoritatis suae magis tuendae causa, quam veritatis studio ducti, contrariam sententiam defendunt. Neque tamen satis est negare, Mosen Pentateuchi auctorem esse: res eo ducenda est, ut statuamus, diversorum auctorum scripta in eo volumine esse congesta et concinnata. Et Geneseos quidem librum, unanimi fere consensu omnes compositum e duobus maxime libellis statuunt [1]). Sed et ceteri libri plurium auctorum sunt. Exodum, Leviticum et Numeros e pluribus mythis et traditionibus inter se diversis, vel literis consignatis vel ore propagatis, concinnatos esse, alio fortasse loco docebo. Singularis

---

1) Quam tamen sententiam multis modis emendarunt, amplificarunt, et subinde perverterunt, qui criticen in Geneseos fontibus a tempore editi libelli factitabant. V. locupletem expositionem ap. SCHVMANN. in l. *Genes. hebr. et gr.* (L. 829.) Prolegg. p. 53—68.

autem atque ab eis libris maxime diversae indolis Deuteronomium est. Nam non solum ab alio auctore multo recentiori tempore, conscriptum, sed in multis etiam a prioribus libris discrepare, imo iis repugnare videtur. Id monstrare hic aggrediar. Sed ne inutiliter in argumentatione nostra interpellemur, liceat mihi tamquam concessum ponere, Pentateuchum non esse a Mose conscriptum. Quibus autem Deuteronomium a prioribus Pentateuchi libris diversum esse ausim monstrare, haec sunt argumenta:

1) Prioribus libris historiam Mosaicam absolvere et ad finem perducere voluit is, qui eos concinnavit. Deuteronomii vel cuiuscunque alius libri adiiciendi ei non fuisse concilium apparet ex ultimo Numerorum versu: „haec sunt praecepta et iura, quae Iehova per Mosen Israelitis dedit in campestribus Moabiticis ad Iordanum e regione Hierichuntis.“ Illud enim cum multa alia „praecepta et iura“ contineat, quae in iisdem campestribus Moabiticis Moses dedisse dicitur, quae Numerorum liber non habet, ita concludere non potuisset auctor. (Qui Pentateuchum a Mose exaratum esse censent, hac difficultate ita se expediunt, ut Mosen, priusquam leges Deuteronomii promulgarit et conscripserit, Numerorum volumini finem imposuisse fingant; sed cum his res nobis non est.) Ac profecto Numerorum libro historia Mosaica ad finem

est perducta. Habet enim non solum ultimas leges a Mose ante mortem latas, partim terram Canaan occupandam et distribuendam spectantes (c. XXVII. XXXIV. XXXV. XXXVI.); sed narrat etiam, quemadmodum Mosis morte indicta successor eius Iosua designatus sit (c. XXVII, 12 sqq.). Consummata omnia sunt et absoluta neque alia ulla de Mose exspectanda. Maxime igitur mirandum est, quod in Deuteronomio nostro Moses quasi redivivus rursus in scenam prodit, quod multas novas leges promulgat, quod iterum Iosuam successorem declarat (c. XXXI.), id quod Numerorum libro narratum erat. Neque desunt prioribus libris adhortationes, quales ubique in Deuteronomio, in primis c. XXVIII. legimus. Quid? quod idem caput ad Levit. c. XXVII. conformatum videtur, quocum per omnia fere convenit excepto genere dicendi. Profecto autem unus auctor se non imitatur.

2) Liber noster singularem et ab antecessoribus diversum librum manifesto se indicat. Etsi enim cum tempore et loco scena, in quam Mosen producit, eadem est, quae est ultimis Numerorum capitibus (scilicet in iisdem campestribus Moabiticis, ubi in l. Num. Moses extremas leges et praecepta promulgat, orationes adhortandi causa habuisse fingitur in l. Deuteronomii): tamen perinde quasi lectoribus ea omnia ignota sint, tempus, locum et rerum gerendarum theatrum diligenter

depingit quinque versibus (c. I, 1—5.). Praeterea quae e prioribus libris nostris repetit, ea praesertim, quae ultimis Numerorum capitibus leguntur (c. I, 2. 3.), non tam copiose enarrasset, si nihil aliud quam priorum librorum quasi appendicem scribere vel suum librum illis adiicere voluisset, ita ut lector illis perlectis tandem ad suum perveniret.

3) Diversum ac peculiare libri nostri ingenium diversum auctorem arguit. Ac primum dicendi genus consideretur, cuius certissima iudicia sunt. Quam dissona sit libri nostri eloquutio a priorum scriptorum genere dicendi quisque sentiet, leviter utrisque collatis. Nostri scriptoris eloquentia ornata, copiosa, lata, garrula quantum discrepat ab illorum sermone brevi, inculto, conciso, balbo. Video quae mihi obiici possint, scilicet diversas agere partes eundem scriptorem, in prioribus libris historici et legislatoris, in hoc oratoris sustinere personam, diversum esse historici, legislatoris, oratoris stylum. At etiamsi concedatur posse scriptorem incitatiore animi adfectione actum aliud sublimius ornatiusve sibi sumere dicendi genus; tamen sic etiam sibi constat, nunquam plane sui dissimilis. Certe Tacitus ubi rhetorice scribit, suum servat genus dicendi. Quomodo autem oratoriam nostri eloquentiam excusabimus, ubi causa nulla est, quod sublimiorem sty-

lum adfectet? Neque vero garrulitas et inanis verborum copia genuinae eloquentiae propria est, itaque ea non rhetoricae libri nostri naturae, sed diverso alius auctoris stylo tribuenda videtur. Ceterum et in prioribus libris multa loca insunt, quae merito oratoria dici possunt, quae autem garrulitate et ambagibus carent: id quod probabit comparatio.

Difficile est, quae *sensu* duce percipiuntur, *argumentis* probare, quae *generatim* recte perspiciuntur, *sigillatim* indicare. Sed efficiemus aliquid, si loca, quae cum priorum librorum locis propius comparari possunt, examini subiiciamus. Comparari possunt c. V, 19—24. Exod. XX, 19. Quae hic uno versu continentur, apud Nostrum quinque versibus dilatata et exornata sunt (notetur inprimis v. 23.). Neque video, quid hac exornatione opus fuerit. Sic simplicem versum Exod. XXI, 1. Nostri cap. V, 28. inutiliter extensum invenies, sensu non amplificato. Quae Exod. XXXIV, 11—17. simpliciter dicta sunt, ea levi mutatione c. VII, 1—12. nimis exaggerata reperies. Conferatur inprimis Exod. XXXIV, 14. cum v. 10. nostri loci, ubi simplex illud: „Iehova est Deus zelotypus," mirifice amplificatum, sed minus oratorie redditum est. — Cap. VII. vss. 12—26. ad Exod. XXIII, 20—32. efficti videntur, qui quidem locus vere oratorius dici potest. Sed quam dissona est nervosa fortis-

que eius eloquentia a laxa nostri garrulitate. Conferantur inprimis Exod. XXIII, 25. 26. cum Deut. VII, 13. 14. 15. Verba: „omnem morbum a te depellam“ noster periodo extendit. Praeterea conferantur v. 27—30. illius loci eum v. 17—24. Nostri.

Et ad res et ad verba inter se comparari possunt Levit. XXVI. et c. XXVIII. libri nostri, sed vehementer eloquentiae genere discrepant. Illic quasi primas lineas, hic picturam coloribus effusam invenies, Lev. XXVI, 3—13. in Deut. XXVIII, 1—14. redeunt: res expictae et exaggeratae, verba profusa. Notentur v. 13. dimidium et v. 14., qui nihil nisi otiosam repetitionem continent. Quae locus Lev. XXVI, 29. minatur crudelia: „comedetis carnem filiorum et filiarum vestrarum,“ horribilem in modum aucta et dilatata sunt v. 53—57. Nostri, et quidem otiosa verborum copia. Notentur inprimis v. 53. 55. 57., ubi ter recurritur ad easdem res et verba. — Quae Lev. XXVI, 20. legis, extensa reperies in v. 38—42., et similia v. 30—33. expicta. Quae Lev. XXVI, 19. legitur comminatio: „efficiam ut coelum ferreum vobis sit et terra aenea,“ ea ingeniose ita aucta est: „demittet Iehova in vos loco pluviae pulverem et arenam.“ Ceterum phrasis עד השמדך, vel alia eius similis tam saepe recurrens (v. 20. 22. 24. 45. 48. 51.), argumento est, quam laxa et lata sit dictio.

Iam notamus phrases quasdam in libro ubique

obvias, quae latitudinem et loquacitatem eius testantur. Innumerabiliter occurrunt illae: *ut diu vivatis in terra, quam Iehova vobis dedit occupandam; ut bene sit tibi et filiis tuis post te usque in seculum, cum feceris quod bonum et rectum videtur in oculis Iehovae Dei tui; diligite Iehovam Deum vestrum et colite eum ex toto corde vestro et ex toto animo vestro; leges observate ex toto animo, ex toto corde, omnibus viribus*, et similes. Quotiescunque terrae Canaan mentionem facit noster, adiicit verba: *quam Iehova Deus vester vobis dat, quam Iehova Deus vester maioribus vestris promisit* et similia. Imprimis amare videtur synonyma. De legibus ubique fere tria illa usurpat מצות משפטים חקת, quibus passim quartum adhuc adiicit עדות [2]) et phrasin: *quae ego hodie vobis praecipio, ut ea observetis.* Ubi ad legum observationem adhortatur, pluribus semper utitur phrasibus (c. V, 29. 30. c. XIII, 5. c. XXVI, 16. 17.). Ubi de fatis gentis Israeliticae mirificis loquitur, omnia quae praesto sunt synonyma conquirit (c. IV, 34. c. VII, 19. c. XXVI, 8.). C. IX, 3. notionem *delendi* quatuor synonymis expressam habes.

Ut toto dicendi genere, sic sigillatim for-

---

2) Occurrunt etiam in prioribus libris haec synonyma, sed rarius simul omnia, plerumque duo tantum.

mae diversitas cernitur. De criminum supplicio semper usurpata est formula; removebis malum a te הרע מקרבך בערת (c. XIII, 6. et saepe [3]) alias), quam in prioribus libris nusquam invenies, sed eius loco solennem illam (in Nostro plane non obviam); *eius anima exstirpanda est e gente sua.* Sic etiam similis illa בער הדם הנקי (c. XXI, 9. c. XIX, 13.), sicut ipsa vox בער, hoc significatu, libro nostro plane propria est. Amat item noster, ubi de criminibus puniendis sermo est; formulam: *quo audito populus timebit neque amplius peccabit et similes* (c. XIII, 11. c. XVII, 13. c. XIX, 20. c. XXI, 21.), quarum nihil simile habent priores libri. Peculiares item sunt formulae: *oculus tuus illis non parcat* (c. XIII, 9. c. XIX, 13. 21. c. XXV, 12.) et qua ad rem declarandam utitur: זה דבר (c. XV, 2. c. XIX, 4.). Contra solennem illam in Levitico ubique obviam: *ego Iehova* vel *ego Iehova vos sanctificans*, in libro nostro desideras, cuius loco aliae verbosiores occurrunt formulae (c. XIV, 21. verba: כי עם קדוש אתה; c. XVIII, 13. c. XXI, 9. 23. c. XXIII, 15. c. XXV,

---

3) In priori editione posueram: *innumerabiliter*, quam hyperbolen Vir doctissimus Ulrich, qui in disputatione adversarii munere fungi haud dedignatus est, ea qua pollebat facetia atque elegantia castigavit. Afferri iusserat in suggestum Concordantiarum ingens volumen, quod evolvens docuit, quot locis illa dictio occurreret.

15. 16., cum quo loco contulisse iuvabit Lev. XIX, 36.) Delectatus etiam esse videtur noster phrasi: *multis populis mutuo dabis* (c. XV, 6. c. XXVIII, 12. 44.).

Singularum dictionum vocumque, quae in prioribus libris non occurrunt, multitudinem in nostro animadverti; sed eas tantum enumerabo, quae peculiares esse videntur. Atque hae fere sunt: vocem בער iam notavimus; נדח *impulit* (c. IV, 19. c. XIII, 14. c. XXX, 17.); דבק praecipue in phrasi: *Iehovae adhaerere* (c. X, 20. c. XI, 22. c. XIII, 5. c. XXX, 20. et saepius); משלח ידים *negotium* (c. XII, 7. c. XV, 10. c. XXIII, 21. c. XXVIII, 8. 20.); גדל *magnitudo* de Deo pro כבוד in prioribus libris obvio (c. III, 24. c. V, 21. c. XI, 2.), התגרה *contendit* (c. II, 5. 9. 19. 24.); למד *didicit* praesertim de legibus ubique obvium est; nomen Horeb ubique usurpatum pro nomine Sinai, quod prioribus libris solenne est; בליעל (c. XIII, 14. c. XV, 9.); היטב adiective positum (c. IX, 21. c. XIII, 15. c. XXVII, 8.): magniloquae illae dictiones: *fornax ferrea Aegypti* (c. IV, 20.) *coelum coelorum* (c. X, 14.), *deus deorum*, *dominus dominorum* (c. X, 17.) עד לב השמים (c. IV, 11.) *ignis devorans* (de Iehova) (c. IV, 24. c. IX, 3.); phrases insolitae: כימי־השמים על־הארץ (c. XI, 21.) בן־הכות (c. XXV, 2.) בני־חיל (c. III, 18.).

Ceterum amare mihi visus est noster Nun par-

agog., quod etiam praeterito suffigit (c. VIII, 3. in ידעון), et Heh parag., quod inprimis modo infinitivo adponere solet, cuius usus solenne est exemplum forma יראה. Si quis oratorio dicendi generi hunc usum tribuendum esse censeat, quaero, cur toto Levit. c. XXVI, utpote quod et oratorie scriptum est et cum c. XXVIII. libri nostri penitus comparari potest, Nun parag. ne semel quidem positum sit?

Negari nullo modo potest, magnam ceteroquin nostro cum prioribus libris dicendi generis similitudinem esse multaque loca ita cum illorum locis congruere, ut ab eodem auctore, memoria ea retractante, quae prius scripserit, exarata esse videantur. Sed qui aliter fieri potuit? Priores libros noster non solum novisse et legisse, sed in sinu quasi gestasse, memoria comprehendisse, et in hoc libro scribendo tamquam exemplar sibi proposuisse videtur. Deuteronomium enim prioribus libris tamquam fundamento niti quaevis pagina docet. Sic etiam illorum dictionem vel industria noster imitatus esse videtur, quamquam haec ausus non ita versatus est, ut omnem diversitatem vitarit [4]).

---

4) Parum refert, an hos libros tales ante oculos habuerit, quales in manibus nostris sunt. Certe singulos, ex quibus compositi sunt, libellos noverat legeratque.

4) Diversa plane et a prioribus libris dissona esse videtur religionis et iuris doctrina, quam liber noster spirat, quippe quae ad sequiorem Rabbinorum doctrinam aliquo modo accedere videatur. Quae priores libri simplicia, nativa atque inculta habent, ea noster ornata, subtiliora, corrupta exhibet. Mythologiam, quam in illis simplicem atque talem invenimus, qualis a maioribus tradita erat, noster mysticismo quodam et doctrina frigida, subtili, superstitiosa temperatam exhibet. Studet dogmatibus subtilioribus excogitandis, inprimis vero praestantiae gentis Israeliticae superstitiose extollendae. Et quod legum doctrinam attinet, prioribus libris ipsos quasi iuris consultos illa qua eius generis auctores decet, simplicitate et rigore leges promulgantes audimus; noster contra praedicatoris seu morum praeceptoris partes agere videtur.

Sufficient pauca haec exempla. C. IV, 7. 8.: „Quae gentium magnarum est, cui dii sui tam propinqui sint, quam Iehova Deus noster nobis est, ubicunque eum invocaveris, cet.“ — V. 32—36. Quaerite modo de temporibus vobis prioribus — — num unquam tanta res facta aut audita fuerit, num unquam populus Deum audiverit loquentem ex igne, salva vita sua, quemadmodum vos, cet. cf. etiam c. V, 24. 26. c. VII, 6—8., quibuscum comparari velim Exod. XVIII, 8—11. c. XIX, 4—6.

c. XXIX, 45., quae quidem loca in rebus similibus versantur, sed maxime diversi ingenii sunt. Terram „lacte et melle abundantem" noster ita describit (c. XI, 12.): „quam Iehova Deus tuus curat, semper oculi Iehovae in eam intenti sunt a principio anni usque ad finem eius." Quod Deus, cum in monte Sinai appareret, nulla imagine indutus fuerit, inde dogma theologicum ducitur de idololatria vitanda (c. IV, 12. 15 sqq.) et aliud multo ingeniosius subtiliusque de prophetarum munere divinitus instituto (c. XVIII, 16 sqq.). Miraculo mannae mysticus quidam sensus tribuitur (c. VIII, 3.): scilicet factum est, „ut notum faceret tibi non solo pane vivere hominem, sed omni eo, quod prodierit ex ore Iehovae, vivere hominem." Gens Israelitica superior erit omnibus populis" (c. XXVI, 19. c. XXVIII, 1. quo etiam pertinet c. XXVIII, 10.). Exhortationibus totus liber refertus est: „*ut Deum ament et timeant, ei adhaereant neve eum obliviscantur*" et similia singuli versus clamant, cum priorum librorum leges externum tantum Iehovae cultum spectent, ad quem quidem solum leges pertinere possunt. Sed videtur noster novum quendam, Mosaicis ceremoniis sublimiorem, mysticum fere cultum inducere velle, quo pertinere videntur phrasis illa de cultu sacro usurpata ברך בשם יהוה (c. X, 8. c. XXI, 5.) et preces c. XXVI, 5 sqq. praescriptae. Vult noster leges

intimo pectore coli earumque observationem in *sanctissimo officio haberi* (cf. c. IV, 1—10. c. VI, 6 sqq. c. X, 12 sqq. c. XI, 19 sqq.), quo pertinent dictiones solennes: *toto animo et corde, in corde esse, cordis praeputium circumcidere,* alia.

5) Maxima autem in legibus diversitas cernitur. Habet enim noster novas quasdam leges et antiquioribus additas clausulas, quibus diversa plane et nova rerum sacrarum et publicarum conditio respici videtur. Plura, quae habet, nova et addititia ad *hierarchiam augendam, ad templi Hierosolymitani* et *Levitarum auctoritatem sanciendam* spectant. Ad „*locum, quem Iehova eliget ex omnibus tribubus vestris ad collocandum ibi nomen suum*" in omnibus fere legibus sacris vel novis vel aliter definitis respectum est. Ibi tantum Iehovam colere et sacrificia (c. XII.) decimas et primitias offerre (c. XIV, 23 sqq. c. XV, 20. c. XXVI, 2.), ibi festum paschatos (c. XVI, 5 sqq.), festum septem septimanarum (eiusd. v. 11.), festum tabernaculorum (eiusd. v. 15.) celebrare, ibi denique de causis controversis sacerdotes consulere fas est (c. XVII, 8 sqq.). De hoc unico cultus sacri loco, *ex omnibus tribubus eligendo,* priores libri nihil omnino habent. De sacrificiis tantum unice ante *tabernaculum conventus* offeren-

dis lex quaedam exstat. Levit. c. XVII. 5). Sed in legibus de diebus festis, de primitiis et de-

---

5) Diversas diversorum temporum leges Pentateuchum complecti, ex hac de loco sacrificiorum doctrina monstrari potest. Neque enim solum Nostri legibus de loco unico, ex omnibus tribubus eligendo, prior est lex Levitici, quae ante tabernaculum sacrificia offerri iubet; sed neque haec ipsa primitiva et Mosaica esse videtur, sed posteriori tempore inducta. Exstat enim lex Exod. XX, 21 sq., qua de uno loco sacrifico nihil omnino cautum, imo pluribus locis sacrificia offerre permissum, certe non prohibitum est. Lex haec est: „Altare terreum facito mihi, ut sacrifices in eo holocausta tua, eucharistica tua, ex pecore et armento tuo: *in omnibus locis*, ubi iubebo celebrari memoriam nominis mei, veniam ad te, et tibi propitius ero. Quodsi autem altare ex lapidibus mihi facies, ne exstruito e caesis, cet.“ Clare loquitur lex, pluribus locis Deum coli posse; et speciosius quam verius obiicitur, hoc loco de tabernaculo sermonem esse: quippe quod mobile fuerit et fixo loco caruerit, ita ut his pluribus locis revera unus significetur: nam de stabili illo ac publico tabernaculi cultu sermo utique non est, sed de altaribus (pluribus, pro arbitrio) exstruendis. Ante tabernaculum conditum legem illam latam esse, ii quidem dicent, qui Pentateuchi antiquitatem defendunt; nos autem, quibus persuasum est, posteriori aetate eum ortum esse et e pluribus libellis compositum, in ea explicatione acquiescere non possumus. Atque fuisse apud Hebraeos tempus, quo Graecorum Homericorum more, ubicunque placebat, Deo suo altaria exstruere sacrificiaque offerre solebant, historia clare docet. Samuel, Saulus, Davides, Salomo in collibus et ubicunque occasio data est, sacra faciunt, neque displicuisse hunc cultum Iehovae, e mytho apparet, quo Salomoni post sacrificia in colle Gibeon oblata propitius in somnio apparuisse traditur (1 Reg. III.). Hic in collibus sacra faciendi mos posteriori tempore nefas est habitus, sed adeo inveteraverat, ut

cimis, tam saepe repetitis, nihil omnino monitum est de loco unico, ubi celebrari et offerri debeant.

Ante omnia vero rebus Leviticis noster studet. Ad Levitas semper respicit, singulari populi curae eos commendat; ne eos deserant, impensius monet. Solennis est versus: *cave, ne Levitam deseras, quam diu in terris vivis.*" Levitae ad omnes sacras epulas adhibendi sunt (c. XII, 12. 18. c. XIV, 27. c. XVI, 11. 14. c. XXVI, 11.), iisque tertii cuiusque anni decimae integrae largiendae (c. XIV, 28. c. XXVI, 12.); de victu in sacro loco iis praebendo imprimis cautum (c. XVIII, 6 sqq.); iidem legum codicem adservant (c. XVII, 18. c. XXXI, 36.), iusti legum interpretes sunt,

---

Iosias demum, Deuteronomio, tunc in templo invento, admonitus (illum enim codicem legum ab Hilkia sacerdote inventum (2 Reg. XXII.) Deuteronomium nostrum fuisse haud improbabili coniectura assequi licet) penitus eum tollere posset (2 Reg. XXIII). Illam certe Levitici legem de sacrificiis unice ante tabernaculum offerendis a Mose non esse oriundam, noster aperte declarat, cum c. XII, 8. Mosen ita inducit loquentem: „Tum non ea omnia vobis licebunt, quae hic vobis licent, ubi pro arbitrio nostro vivimus." (Scilicet de sacrificiis non nisi loco illo unico offerendis sermo est.) Quibus verbis clare dicit, Mosis tempore sacra faciendi liberam fuisse facultatem: nam si Levitici lex iam tum lata erat, Moses dicere non potuit, *pro arbitrio* huc usque vixisse Israelitas. Videtur noster eam legem vel ignorasse vel certe ad Mosaica tempora non retulisse.

et in causis controversis tamquam summi iudices consulendi (c. XVII, 8 sqq.).

Legem regiam (c. XVII, 14 sqq.) et Mosis in condenda republica Israelitica consilio plane esse contrariam et a prioribus libris alienam, quippe in quibus nihil omnino de rege creando vel obscurius significatum sit, non est quod moneamus, postquam hac de re disputavit S. V. *Ilgen* (in commentat. de notione tituli filii Dei, ed. Ienae 1795, repetita in Pavlvs Memorabilien P. VII.).

Multis aliis legibus vel novis vel correctis, quae ad posteriorem aetatem referendae videntur, brevitatis causa omissis, notamus postremo leges, alteram de prophetis (c. XVIII, 9 sqq.), alteram de divortio (c. XXIV, 1 sqq.). Subtiliorem theologicam doctrinam, ex qua illa profecta est, priorum librorum iuris periti ignorant; et quod ad hanc attinet, nisi posteriori tempore inducta esset, prioribus libris haud dubie non omissa esset, in quibus leges alias ad rem domesticam pertinentes haud desideras.

6) Discrepat denique noster a prioribus libris rebus historicis quibusdam. Legem Levit. XVII. de sacrificiorum loco vel ignorasse eum vel certe ad Mosen non retulisse, supra monuimus. Refert c. I, 37. iam apud Cadesbarneam Iehovam iratum Mosi terram Canaan ingrediendi spem negasse, quod tamen apud aquas contentionis Cadesi in de-

serto Sin demum evenisse traditur Num. XX, 12. et c. XXVII, 14. Sic cum memorat c. II, 29. Edomitas transitum Israelitis concessisse, aperte contradicit priori narrationi Num. XX, 20., ubi illos transitum constanter denegasse et Israelitis armata manu obviam ivisse legimus. Non est animus inquirere, an haec inter se conciliari possint: certe idem auctor tam diversa scribere non potuit.

His expositis, quo consilio liber noster conscriptus sit, facile intelligimus. Est *epitome* seu *summarium* priorum librorum, in popularem, uti videtur, usum concinnatum simulque adhortationibus exornatum. Etsi enim a prioribus maxime differt, diversique ingenii, auctoris, aevi esse videtur, tamen, uti monuimus, libros illos novisse et ante oculos habuisse auctorem nostrum negare non possumus. Versatur non solum in eodem iuris et legum corpore, quod illi complectuntur, sed singulas quoque, quas illi uberius exponunt, leges iterat et contrahit iisdem fere verbis, atque de aliis ad illos relegare lectorem videtur (velut c. XXIV, 8. de legibus lepram spectantibus), quamquam nominatim eos laudare persona, quam sustinet, vetat. Sed est etiam liber noster eo consilio scriptus, ut priores suppleret et corrigeret. Scilicet cum temporum successu mores atque instituta morum partim in desuetudinem et oblivionem venissent, partim rerum statui non amplius consen-

tanea viderentur, sacerdotes, novum ius vel introducturi vel legum auctoritate sancituri, Deuteronomium nostrum, quod vel suppleret, vel corrigeret, vel abrogaret antiquas leges, induxisse videntur. Templo Hierosolymitano exstructo, cultu rituali, superstitione magis magisque crescentibus, crevit sacerdotum auctoritas, et imperium, quod quidem legibus de unitate loci sacri et de Levitis firmare ac stabilire voluerunt. Cum Mosaica reipublicae forma spreta regem sibi elegisset populus, atque iam is, qui tertio loco regnavit, tyrannidem regum Asiaticorum luxuriamque sibi sumsisset: huic regiae licentiae frena iniicere voluerunt lege regia. Corrupti inferioris aetatis mores divortii licentiam postulabant, quam antiquum ius non concessisse videtur: inde lex de divortio. Atque sic ex pluribus aliis legibus libri nostri peculiaribus apparet, eum esse eo consilio scriptum, ut legibus antiquis ea, quae posteriorum temporum ratio postularet, adiicerentur.

Haec cum iam sub prelo essent, incidit in manum Vateri Comment. in Pentateuch. T. III., nuperrime editus, ex quo, leviter tantum inspecto, non solum studii sed etiam sententiae socium mihi fuisse doctissimum virum non sine voluptatis sensu cognovi.

DE RATIONE ATQVE SIMILITVDINE PROPHETARVM IN VETERIS TESTAMENTI ECCLESIA ET DOCTORVM THEOLOGIAE IN ECCLESIA EVANGELICA.

Doctoris theologiae creationem solennem eamque primam in hac Regia Universitate instituendam indicturis nobis haud alienum a re visum est, de dignitatis huius academicae ratione sententiam nostram qualemcunque proferre, praesertim quum virorum doctorum hac de re opiniones admodum incertae esse videantur. Quod vero, ut dignitatis huius naturam atque indolem melius perspiciamus, rem a prophetis veteris Testamenti repetimus, id iis tantum mirum videbitur, qui, quod et universus coetus Christianus unanimi consensu comprobavit, et nostra praeterea ecclesia diligenter sanxit confessione publica, unam esse veteris et novi Testamenti Ecclesiam omnisque divinae veritatis fontem in utriusque foederis libris situm esse, vel ignorant vel negant; quibuscum hic disceptare et longum, et minime necessarium est. Ii quidem, qui in utriusque foederis theologia exploranda excolendaque parem collocare operam consueverunt, quantum utilitatis non solum ad novi Testamenti libros explicandos, verum etiam ad universam Ecclesiae Christianae historiam illustranbam adferat accurata rerum Hebraicarum co-

gnitio, quotidiano usu compertum habent, nostrique instituti rationem probabunt.

Hodie nemo inter theologos nostros est, qui ausit negare, legum Mosaicarum origines ex Aegypto esse ducendas; quod quidem qui primi adfirmarunt, superioris adhuc seculi initio severioribus orthodoxiae, quam sibi finxerant, propugnatoribus de divina Mosis auctoritate detrahere visi sunt. Quam auctoritatem recte in eo posuerunt vituperatores illi, quod doctrina eius institutaque, utpote omni, qualis tunc fuerit, humana disciplina et arte superiora, non sine divino afflatu et auxilio inventa esse possint; in eo tamen vehementer errarunt, quod divinitatis admiratione quasi occaecati ea etiam, quae in illis humana sunt, pro divinis habebant. Obliti sunt boni illi zelotae, qua lege cogitari possit in rebus humanis revelatio divina. Quemadmodum enim Deus non potest in hac rerum natura conspici propria sua forma, ita etiam ea, quae tanquam divina veneramur, non possunt sine humanis quasi involucris concipi, ita ut eadem alia ratione humana, alia ratione divina habenda sint. Cui quidem legi recto quodam veri sensu ducti patres Ecclesiae, quum doctrinam de Iesu Christi divinitate stabilirent definirentque, bene obtemperarunt, caute sancientes, ne naturae eius diversae, humana et divina, licet in una persona unitae, inter se permiscerem-

tur, neve quae ad illam pertinerent, ad hanc referrentur. Itaque in omnis revelationis divinae historia exploranda bonum theologum ita versari oportet, ut, ab impietate et superstitione pari intervallo remotus, neque divinitati honorem detrahat, humanis viribus omnia tribuendo, neque naturae leges evertat, divina ab humanarum rerum nexu violenter divellendo. Quam quidem regulam si ad Mosaicae religionis historiam adhibemus, quamvis de divina eius origine persuasum nobis sit, tamen humanam eius originem ex illius temporis rationibus explicare haud supersedebimus. Quin etiam iis, quae tempori suo Moses accepta referebat, et quae ex suo ingenio hauserat, diligenter inter se collatis, clarius elucescet divina eius dignitas. Apparebit enim, hunc virum tanto post se intervallo aequales suos reliquisse, ut iure eum divina quasi veneratione prosequamur.

Tralatitium est religionis Mosaicae virtutem divinam ponere in doctrina, quae est de uno ac supremo Deo. Neque hoc prorsus falsum est. Sed maiori fortasse admiratione digna est lex, qua omnis idololatria vetabatur. Cogitari sane potest monotheismus, qui imaginum symbolorumque opem haud spernat, is vero num plurium Deorum cultui multum anteponendus sit, equidem dubito. Parum enim refert, utrum unum an plures Deos colamus, nisi unius verique Dei dignam mente concipiamus

notionem; quod imaginum sacrarum usu admisso fieri neutiquam potest. Veram igitur vim suam monotheismus Mosaicus non nisi illius legis ope nactus est. Quod autem Moses talis legis ferendae consilium ceperit, id iure mireris. Nam summi Dei notionem in antiquitate prorsus fuisse ignotam, merito dubitatur; certe Hebraei eam a patribus accepisse traduntur. Dei autem cultus, ab imaginum auxilio plane destitutus, non solum Aegyptiis ceterisque gentilitatis populis, sed ipsis etiam Hebraeis ante Mosen prorsus inauditus fuit: id quod recte inde colligimus, quod vitulorum aureorum cultui ita assueverant, ut Mose paulo diutius in monte morante, statim ad hanc superstitionem relaberentur, eamque insequentibus etiam iudicum temporibus puro Iehovae cultui nunquam non anteponerent [1]): quare Ierobeamus per novum

---

4) Illud אֵפוֹד, quod Gideon ex auro bello capto fabricasse et in urbe sua Ophra statuisse traditur (Iud. VIII, 24—27.), nihil aliud fuisse, nisi idolum (ligneum fortasse auroque obductum, ex Michaelis sententia), ex veteribus interpretibus iam Arabs videt, et hodie inter doctos viros constat (vid. Gesenii Lexicon s. h. v.). Quum autem iudex ille Iehovae in Israelitas imperium tam fideliter sit tuitus (conf. v. 23.), ab eius cultu defecisse vix putandus est. Fuit igitur Iehovae signum, quod ille statuit. Idem censendum de idolo Michae et Danitarum quod eodem nomine אֵפוֹד appellatur (Iud. XVII, 3—5. XVIII. 17—20.), et de Ephod. quod in sacello Nobensi fuit (1 Sam. XXI, 10.). Haec Iehovae idola vitulos fuisse, con-

regnum eam publica auctoritate sancire potuit, Mosaico cultu abrogato. Tantum igitur abfuit, ut Moses illa lege excogitanda humanum consilium et exemplum sequeretur, ut etiam omnibus et notionibus et moribus tunc regnantibus recta obviam iret.

Idololatriae odium nihil aliud, nisi veri amor est. Namque Dei imagines propterea reiiciendae, quia falsae sunt falsasque de Deo notiones praebent, praecipue vero, quia homines impediunt, quo minus de rebus divinis proprio liberoque mentis motu meditentur. Veritatis enim vis non tam in re, quae cognoscitur, quam in ratione, qua ea cognoscitur, sita est: atque veritati is vere studet, qui eam cogitando propriis viribus assequi conatur. Imaginibus autem Dei publica religione sancitis piae mentis desiderium Dei cognoscendi facilius expletur, eaque finibus circumscribitur, ex quorum angustiis vix egredietur. Quare Moses, quum populo suo imaginum usum interdiceret, Deumque

---

iectura facili assequi licet. Idolum Michae a Danitis in urbe sua Dane statutum ad exilium usque mansisse legimus Iud. XVIII, 30. In eadem autem urbe Ierobeamus vitulorum suorum unum statuisse dicitur (1 Reg. XII, 29.). Unde patet, hunc regem vitulorum cultum non excogitasse, sed a Danitis accepisse regiaque auctoritate sanxisse. Quodsi Michae idolum pro vitulo habendum, cetera quoque nomine אֵפוֹד appellata huius formae fuisse censendum est.

invisibilem mente cogitari, non oculis cerni iuberet, veri amorem et studium in eo excitare voluit. Quod quum non sine numine voluisset, Dei gratia tam prospere ei cessit, ut veritatis studio et cognitione apud Hebraeos sensim sensimque crescente, tandem huic populo summae veritatis lux in religione Christiana adfulgeret.

Illud autem in cultu divino veri studium cum imperio sacerdotali, quale apud Aegyptios obtinebat, constare non potuit. Ubi enim unicuique ad veritatem assequendam patefacta est via sacerdotum, ceu Dei divinaeque voluntatis interpretum, nulla valet auctoritas: imo quicunque rerum divinarum cognitione ceteros superat, is hierophanta habebitur. Quam ob rem sacerdotes Aegyptii, et quos eorum similes aliae Asiae gentes habebant, imperium suum eo firmabant, ut populum symbolorum superstitionumque quasi vinculis adstrictum tenerent, et veritatem sibi ipsis non omnino ignotam publice non proponerent, nisi fabulis involutam. Atque quum apud Aegyptios divinarum rerum scientia cum omni omnis generis humana disciplina et arte intime esset coniuncta, ordo ille sacerdotum, ad quem nullis nisi gentis sacerdotalis hominibus aditus erat, omnem omnino sapientiam hereditario iure possidebat, profano populo ab ea longissime remoto.

Quae quum ita sint, Moses sibi ipse parum constitisse videtur, quod in tali ordine sacerdotali creando ad Aegyptiorum mores se composuit. Speravit quidem fore, ut tribules ipsius Levitae nova, quae induxerat, instituta fidelius servarent, quam ceterarum tribuum homines. Hanc autem eius spem fefellit iam Aaron, qui populo vitulum aureum postulanti tam facile morigeraretur; fefellit postea universus Levitarum ordo, siquidem iudicum tempore Iehovae cultus totus fere in idololatriam videtur abiisse, cui ipsi illi sacerdotes inservire haud dedignarentur. Cur, quaeso, Levitae invisibilis Dei cultui dediti fuerint fidelius, quam ceteri Israelitae? Sola magna tribulis ipsorum Mosis memoria vix hoc efficere potuit, nisi, qua ille sapientia et pietate excelluerat, eadem ipsi quoque populum anteirent. Ac potuit quidem Moses tribum suam sacrificulorum munere privilegiisque ornare, sapientiam autem talem, qualem sacerdotes Aegyptii per generis seu familiae traditionem ab aeternitate acceptam tenebant, ei non potuit tribuere. Verum enim vero id ipsum, in quo falli se passus est Moses, divinae providentiae beneficio in verae religionis utilitatem versum est. Quodsi Levitae Aegyptiorum sacerdotum exemplo auctoritatem suam sacerdotalem sapientia atque eruditione tueri potuissent, illa in religione libertas, quae quum veri studium sustentat, tum

ab eodem sustentatur, in populo Israelitico, si non penitus oppressa esset, tamen non tam altas egisset radices tamque laete effloruisset.

Quae iudicum temporibus fuerit sacrarum apud Israelitas rerum facies, manca admodum traditione memoriae proditum est. Videntur tamen praeter iudices, qui et ipsi sacra quadam auctoritate pollebant sacrisque faciundis subinde praeerant, medio ex populo interdum surrexisse sacri quidam vates, in Iudicum libro viri divini appellati, qui rerum publicarum sacrarumque saluti prospicerent: unde apparet, iam tum auctoritatem sacerdotum valde fuisse labefactatam. Penitus autem ea fracta est, quum Samuel, divini vir ingenii, quem alterum Mosen merito dixeris, non solum ipse rerum sacrarum publicarumque curam susciperet, sed etiam prophetas theocratiae atque religionis custodes eosdemque magistratuum atque sacerdotum quasi censores constitueret. Si Samuelem huius instituti auctorem, non Mosen, dicimus, ex lege illa Deut. XVIII. 15. sqq., qua Mosis nomine prophetarum munus auctoritasque constituitur, nos certe non confutabunt, qui crisis usui aliquid dant in rerum Mosaicarum cognitione. Silentio praeterimus, quae ex libri natura et indole ad posterius tempus, quo lata sit haec lex, demonstrandum afferre possimus, quum res ipsa loquatur. Quodsi Moses sacerdotibus in theocra-

tia et religione curanda socios adiunxisset prophetas, debuisset sane utrorumque munera iuraque certis circumscribere limitibus, ne ullus inter eos concertationi locus esset. Quod tamen factum non esse uno comprobabimus exemplo. Oraculum, quod tanti erat momenti in republica, Pontifici maximo concredidit legislator, eiusque effatis ipsum Iosuam imperatorem parere voluit. Verum etiam prophetae futura praedicere solebant, eorumque praedictionibus Deuteronomii lex fidem haberi tamquam Dei voci iubet. Pari igitur sacerdotum et prophetarum in re eadem auctoritate, si quando inter utrosque dissensio orta esset, populum vel in diversas partes trahi, vel dubium haerere oportebat, utrorumne consilium sequeretur: quod incommodum legislatorem sapientissimum haud praecavisse equidem, ut credam, a me impetrare non possum. Magis itaque consentaneum est, ex Mosis quidem instituto penes sacerdotes ab initio oraculi fuisse potestatem, temporum autem successu, illorum apud populum auctoritate imminuta prophetas oraculorum edendorum ius sibi sumsisse solosque exercuisse: quae nostra coniectura eo firmatur, quod post Samuelis tempora institutasque prophetarum scholas oraculi sacerdotalis, cui nomen Urim et Thummim, nulla amplius in annalibus fit mentio, unde id oblivioni traditum esse colligimus.

Prophetarum quae fuerit in ecclesia Hebraica conditio atque potestas, si eos cum sacerdotibus comparaveris, optime perspicies. Ac primum hoc est tenendum, prophetas non ex genere Levitico, sed ex qualibet populi tribu fuisse oriundos. Si forte eorum unus et alter, ut Ieremias, sacerdotalis generis fuit, hoc ad ceteros non pertinet. Ipse prophetarum princeps Samuel Ephraimita fuit (1 Sam. I. 1.), etsi Levitam eum facit Chronicorum auctor, rei Leviticae nimis studiosus (1 Chron. VI. 18.). Neque etiam prophetarum segregatus erat ordo sive collegium, certis adstrictum legibus. Quamvis plerique eorum in prophetarum scholis eruditi vel clarioris cuiusdam prophetae discipuli fuisse videntur; tamen inde non sequitur, aliam eos inter se habuisse societatem, quam quae in pari vitae ratione et studio esset posita: nisi forte Graecorum etiam philosophorum scholas sectasque collegia habebis. Quod autem in prophetarum scholis discipuli contubernio coniuncti erant, in eo recte comparantur cum similibus apud nos scholis vel academiis, non autem, ut Hieronymus voluit, cum monasteriis. Propius quidem ad collegii rationem accedere videtur, quod Elisaeum ab Elia propheta unctione esse inauguratum legimus, id quod ceteris etiam prophetis factum esse videtur; sed ut hoc moris fuerit, quam parum huic cerimoniae ponderis sit

tributum, inde apparet, quod nullus omnino propheta ad auctoritatem suam firmandam unctionis suae mentionem facit, neque legis, quae in Deuteronomio de prophetis est, auctor de hac re loquitur. Ac quomodo, quaeso, in eiusmodi ritu propheticae auctoritatis notam ponere Hebraei potuerint, quum ne signa quidem et miracula, quae edidisset, prophetae falso fidem facere possent (Deut. XIII, 2 sqq.)? Omnis igitur prophetarum auctoritas in divino, quo concitarentur, adflatu et in vaticiniorum, quae proferrent, veritate posita erat (Deut. XVIII, 22.): quare legatos se divinos gloriantur spiritu divino plenos, omni humana commendatione superiores. Potuisse etiam munere prophetico fungi eos, qui neque scholam quandam frequentassent, neque a propheta alio inaugurati essent, exemplo Amosi probatur, qui se prophetam prophetaeque filium (discipulum) negat (Cap. VII, 14.). Quibus in rebus omnibus sacerdotum plane dispar erat ratio, quippe qui iure hereditario ad munus accederent, certis quibusdam ritibus inaugurandi, ita ut auctoritas eorum in externis rebus esset collocata mereque humana.

Paucis rem totam absolvimus. Quum enim prophetae nulli addicti essent tribui vel ordini, populi universi quasi oratores ideoque ab omni partium studio vacui: iidem libertatis in religione

acerrimi vindices custodesque exstiterunt. Quumque auctoritatem suam atque fidem tueri non possent nisi veracitate, veritati tum in omnibus rebus, tum praecipue in religione inservire solebant. Quae quidem iam breviter explicabimus.

Sacerdotum intererat, ut cultus divini ritus atque cerimonias, quam plurimum possent, populo commendarent, siquidem ex illius observatione ipsorum et auctoritas pendebat, et emolumentum redundabat. Quare quum his rebus sine dubio plus tribui vellent, quam verae pietati consentaneum esset, non potuit fieri, quin homines ab eo, quod in religione primarium est, pio, inquam, mentis sensu morumque sanctimonia revocarent. Aliter prophetae. Quorum effata, quibus cerimonias externas elevant, veramque animi pietatem dignis efferunt laudibus, in vulgus illa quidem nota, afferre hic non attinet. Illud tamen divinae quasi audaciae dictum, quod apud Ieremiam (Cap. III, 16.) legimus, tempus venturum, quo apud Israelitas arcae foederis nullus amplius foret usus *), silentio praeterire non possumus. Quod quam graviter animos hominum, imprimis vero

*) Ex interpretatione LVTHERI, quam nuper etiam GESENIVS V. D. sequutus est, Ieremias sacrificiorum quoque cultum cessaturum dicit; sed verba וְלֹא יֵעָשֶׂה עוֹר melius de arca foederis intelliguntur, ut exprimantur: *neque alia fabricabitur*, quam de sacrificiis, de quibus sermo non est.

sacerdotum, pupugerit, recte aestimabimus, quum meminerimus, in arca illa praesentem ipsum Iehovam residere creditum: ita ut illius effati eadem sit vis, ac si quis apud nos audeat dicere, fore aliquando, ut et Ecclesia et sacra Domini coena carere possimus. Atque etiam illae de futura aurea aetate praedictiones, quibus a praesenti rerum publicarum sacrarumque statu imperfecto ac vitioso animos hominum abstraherent atque ad subliniores rerum ideas concipiendas adducerent, uti malorum regum atque magistratuum tyrannidi erant oppositae, ita ad nimiam sacerdotum cultusque divini, qui tum erat, venerationem reprimendam vim maximam videntur habuisse. In universum prophetae in eo elaborabant, ut religionem Mosaicam superstitione atque errore magis magisque liberarent, et ad maiorem perfectionem perducerent. Nec mirum est, sacerdotibus atque magistratibus prophetas, perinde ac si rebus novis studerent, turbasque cierent, in suspicione odioque fuisse: hoc autem optimis quibusque viris, qui veritati vitam impenderunt, ubique locorum atque aetatibus omnibus, ipsique Iesu Christo, accidit. Quodsi aequales illis malam habuerunt gratiam, posteri tamen dignis eos extulerunt laudibus, atque nos quidem grato animo agnoscimus, absque illorum opera religionem Mo-

saicam non ita potuisse excoli, ut ex ea divina Christi doctrina proficisceretur.

Quantum in omnibus rebus veritati studuerint prophetae, apparet maxime ex eo modo, quo oracula edere consueverunt, hac in re etiam a sacerdotum ratione plurimum abhorrentes. Quidquid fuerit illud *lucis* et *veritatis* mysterium, quo in responsis divinis reddendis utebatur Pontifex Maximus, certe hoc clarum est, ex *artificioso* divinationum genere id fuisse, non *naturali*, ut quam *Cicero* (de divinat. I, 18.) divinationum facit divisionem, sequamur. Nam etiamsi illud, quod super pectus gestabat sacerdos, neque sortibus (ut recentiores quidam coniectarunt), neque gemmis quibusdam, quarum splendor observandus esset (quae est veterum quorundam opinio), constaret; tamen quum ad eius usum in oraculis reddendis adstrictus esset, eum *soluto liberoque animi motu* (quae est ex Ciceronis sententia naturalis divinationis ratio) hoc negotio perfunctum fuisse negamus. Praeter hoc lucis et veritatis oraculum temporibus heroicis apud Hebraeos maxime in usu fuisse videntur sortes sacrae, quae Samuelis adhuc aetate in comitiis adhibebantur. Quarum usum sacerdotes si non ipsi induxerant, certe permittebant iisque ducendis praeerant haud dubie. Habemus igitur divinationis sacerdotalis duo genera, quorum utrumque artificio quodam

vel saltem externarum rerum usu, non divina quidam animi concitatione continebatur. In eiusmodi autem divinationis generibus, etiamsi per fraudem omnia facta esse suspicari nolimus, tamen ex arbitrio suo egisse et quicquid sibi placeret, pro voluntate divina venditasse sacerdotes quis neget? Vbi enim extrinsecus petita, non ex animo hausta sunt oracula, nulla eorum esse potest fides, nisi quae vel in auctoritate edentium, vel in stupore superstitioso consulentium sit posita. Vbi vero in divina quadam animi concitatione divinationis vim fidemque positam putas, certe sublimius quiddam est, cuius admiratione rapiaris, divinam dico animi naturam, cuius et tu particeps es. A quo divinationis genere etsi superstitio non semper prorsus abest, tamen vera religio quaedam locum habet. Atqui prophetae, omni illa signorum rerumque externarum adhibendarum arte spreta nunquam aliter nisi divino adflatu concitati oracula ediderunt. Vel tum quum res naturales indicandae iis erant, non signis atque prodigiis captandis eas explorare solebant, sed eidem illi divino instinctui se permittebant. Traditur enim (2 Reg. III, 15.) Elisaeus propheta a regibus Samariae Iudaeaeque regi Moabitarum bellum inferentibus aquaeque penuria laborantibus auxilium rogatus fidicinem arcessi iussisse eoque canente Iehovae spiritu correptus, quo loco aqua fodiendo reperiri

posset, indicasse. At vero si vano superstitiosae plebis studio futura praenoscendi temere inserviissent vates Hebraei, tum religionis Mosaicae tum muneris sui dignitatem prodidissent. Sciscitari quid forte fortuna futurum sit, neque prodest homini, neque eum decet; sed tantum hoc agat necesse est, ut sciat, quid se facere et virtus et prudentia iubeat. Quod ubi fecerit, quicquid providentia divina accidere ipsi iusserit, aequo atque constanti animo exspectabit. Qui autem ominum ac prodigiorum ventis se iactari patitur, is in Dei cura nullam se ponere fiduciam prodit eiusque voluntatem inflecti evitarique posse opinatur, quae quidem ethnicorum verum Deum ignorantium est superstitio. Quocirca prophetarum Hebraeorum mos erat, vaticinia sua ita proponere, ut homines primum de eo, quod vel omittere vel facere Dei sancta voluntas eos iuberet, admonerent, et deinde demum quae iis obedientibus bona, quae non obedientibus mala expectanda essent, praedicerent. Quibus praedictionibus tantum abest ut credulitati populi imposuerint, ut unumquemque excitaverint ad earum veritatem diiudicandam. De iis enim, quae homini vel facienda sunt, vel omittenda, quibusque ipse sibi suam fortunam parat, penes unumquemque iudicandi est facultas, ad eaque perspicienda neque arcana quadam arte opus est, neque singulari

animi natura, sed quicunque est animo sincero et veritatis pietatisque amans, in his plus videbit, quam qui omnem Magorum Chaldaeorumque disciplinam expertus et furore divino exagitatus sit. Bene describit hanc Hebraeorum prophetarum divinationis rationem Iesaias ille personatus, quum Iehovam oracula sua cum ethnicorum oraculis ita comparantem inducit: *Non in latebra loquutus sum aut in locis terrae tenebricosis. Non dixi posteris Iacobi: frustra quaerite me. Ego sum Iehova, qui vera loquor et recta pronuncio* (Ies. XLV, 19.). Quod enim negat, se in latebra loqui aut in locis terrae tenebricosis, eo quidem ethnicorum morem ex antris et subterraneis locis oracula reddendi eaque ad eorum locorum rationem accommodate verbis obscuris et flexiloquis involvendi perstringit. Vates autem Hebraei quum sincere atque aperte praedicta sua proponerent, non ita populum frustrabantur, quemadmodum ethnicorum oraculorum praestigiis fraudibusque fieri solebat: id quod significatur verbis: *Iehovam frustra haud quaeri.* Iehovae denique oracula semper veracia erant, ethnicorum divinationibus incertis ac mendacibus prorsus absimilia *).

---

*) Rosenmvellervs, vir doctissimus atque interpres subtilissimus, Grotivm, ut videtur, sequutus, tribus notis

Quae quum esset prophetiae Hebraicae ratio atque virtus, suo iure idem ille personatus Iesaias dixit, *hoc esse foedus Iehovae cum populo Israelitico, quod spiritus divinus, qui in propheta sit, verbaque, quae ei dictaverit Iehova, non recessura sint de ore eius deque ore omnium futurorum prophetarum* (Ies. LIX, 21.): quod ita explico: tam diu fore reipublicae divinis legibus temperatae (quas foedus Dei cum populo dicere solent Hebraei) optimam laetissimamque conditionem, quam diu prophetae divino spiritu impulsi ei, quod iustum atque verum sit, adserendo tuendoque operam sint daturi, quos quidem nunquam defuturos esse promittit. Hac spe autem propheta

---

hoc loco Iehovam a Diis gentilium discerni docet (in Schol. a. h. l.). Et in verbis quidem illis prioribus recte id ipsum, quod nos explicavimus, discrimen invenit. Verbis autem: *non dixi semini Iacob, frustra quaerite me*, alterum discrimen significari putat, quod ita explicat: Gentium Deos vexare miseros cultores neque tamen quicquam conferre boni, ideoque illis frustra honores impendi divinos; Iehovam vero suis cultoribus amplissima proponere praemia. Tertium denique discrimen esse dicit, quod Iehova, quae iusta sint et recta, praecipiat, his vero contraria prorsus agant et dicant, qui esse existimentur gentilium Dii. Et GROTIVS quidem ad posteriora haec nostri loci verba incesti quorundam Deorum cultus mentionem iniicit. Ego vero huic interpretationi accedere non possum. De nulla re mihi hoc loco sermo esse videtur, nisi de oraculis et verba צֶדֶק et מֵישָׁרִים veritatem, non iustitiam significare arbitror: id quod bene vidit GESENIVS, cuius Lexicon s. v. צֶדֶק conferatur velim.

ille frustratus est. Nam paulo post quam Iudaei in patriam reversi erant, spiritus ille propheticus inter eos evanuit, neque amplius viri exstitere, qui suo sensu atque iudicio divinam voluntatem explicare auderent. Quare ad leges ab antiquitate acceptas litterisque consignatas confugerunt, qui reipublicae praeerant, et in iis explicandis omnem sapientiam collocaverunt. Atque ita enatum est illud servile, omnes res civiles sacrasque ad legum Mosaicarum litteram componendi studium, quo Iudaei hodieque tenentur. Iam prophetas exceperunt legumperiti et librorum sacrorum interpretes (*νομικοὶ καὶ γραμματεῖς*), qui itidem, ut illi, non ex sacerdotibus, sed ex plebe fuisse videntur: ita ut etiam his temporibus sacerdotes sapientiae atque doctrinae auctoritatem gloriamque sibi eripi sint passi, cultu administrando contenti.

In Christi doctrina veritatem divinam, quam Moses institutis suis quasi adumbraverat, prophetae autem clarius perspicere ardentissimo studio contenderant, luce clarissima apparuisse iam diximus. Quae quum Deum non caerimoniis, sed vera animi pietate (*ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ*) colendum praeciperet, sacerdotio nullus locus relictus est, siquidem caerimoniis sublatis et sacerdotium tollitur. Prophetia vero, tot seculis oppressa, iterum resurrexit, eademque vera illa

antiqua, quae non solum futura praediceret, sed etiam divina animi incitatione divinarumque rerum intelligentia contineretur. Huius generis propheta ipse Iesus Christus fuit; fuerunt Apostoli eiusque disciputi; atque in prima Ecclesia omnia quae gererentur, spiritus sancti impulsu gesta sunt. Quocirca recte Petrus Apostolus illud Ioëlis vaticinium, quo posteris temporibus Dei spiritu omnes omnis generis et aetatis homines impletum iri praedicuntur, in Ecclesia Christiana eventum habere adfirmavit.

At vero ea est generis humani imbecillitas, ut haec religionis quasi aurea aetas durare non potuerit resque Christianae mox inclinari coeperint. Namque quum Iesus Christus Ecclesiae suae nullas nisi veritatis atque pietatis leges praescripsisset, ea semet ipsa legum, dogmatum rituumque multitudine obruit, atque cuius ille omnes stirpes eiecerat, sacerdotium nova forma reduxit. Optime perspexerunt episcopi Christiani, quantum ipsis esset cum sacerdotibus Leviticis similitudinis; quapropter ad auctoritatem suam firmandam cum illis sese comparare amabant. Sed utut hoc iis utile fuit, tamen si Christianae Ecclesiae dignitatem Iudaica longe superiorem perspexissent, huius comparationis eos puduisset. In eo tamen hi novi sacerdotes ab illis diversi erant, quod non solum ritus atque caerimonias, sed religionis etiam

praecepta placitaque hominibus observanda obtrudebant omnique sua auctoritate tuebantur, multo peiorem illis tyrannidem exercentes. Quae eo firmius stabat, quo magis doctrina ac scientia valebant, quippe qui barbarie mox ingruente soli fere essent, qui litterarum ac disciplinarum reliquias servarent: ut hos Christianos sacerdotes rectius cum Aegyptiis comparaveris, quam cum Hebraeis.

Duravit in Ecclesia Christiana hoc sacerdotale imperium, Christiano nomine indignum, ad tempora usque restitutarum litterarum. Nam simulac litterarum studia clericorum monachorumque propria esse desierunt, vincula, quibus populum obstrictum tenebant, relaxata sunt. Diu tamen resurgens libertas cum tyrannide luctata est, donec magnus ille vir, a quo ecclesia nostra et originem et nomen traxit, divino spiritu incitatus, divinisque viribus instructus, exsecrandum illud dominationis papalis monstrum penitus profligavit. Quem posse recte cum Samuele comparari, ex iis, quae supra disputavimus, sponte apparet. Fuit enim Lutherus, ut ille prophetiae apud Hebraeos auctor, ita apud nos libertatis ac veritatis in rebus sacris acerrimus felicissimusque vindex, eique acceptum referimus, qua nos hodie gaudemus, verum explorandi exploratumque libere proponendi licentiam.

Ac Lutherus quidem fuit theologiae doctor atque sacri eius muneris officio satisfacturus adortus est, quae Dei auxilio perfecit. Quumque doctrina sua ecclesiae magnum iniecisset tumultum, remque aliter cadere videret, quam ipse ab initio cogitasset, firmavit animum dubium incertumque officii facti conscientia *): ut nisi Lutherus hac dignitate academica ornatus fuisset, num ingens suum opus perfecerit, dubitari posset. Quare doctoris theologiae verum summumque exemplar nobis Lutherus est atque in eo discendum, qualis eiusmodi doctor esse debeat. Originem dignitatis

---

*) *„Hier sprichst du vielleicht zu mir: Warum lehrst du denn mit deinen Büchern in aller Welt, so du doch allein zu Wittenberg Prediger bist? Antwort: ich habe es erstlich gezwungen und getrieben gethan, da ich Doctor der heil. Schrift werden musste ohne meinen Dank. Da fing ich an als ein Doctor, dazumalen von päbstlichem und kaiserlichem Befehl, in einer gemeinen freyen hohen Schule, wie einem solchen Doctor nach seinem geschwornen Amte gebühret, vor aller Welt die Schrift auszulegen und jedermann zu lehren, habe auch also, nachdem ich in solch Wesen gekommen bin, müssen drinnen bleiben, kann auch noch nicht mit gutem Gewissen zurüke oder ablassen, ob mich gleich Pabst und Kaiser darüber verbannten. Denn was ich habe angefangen als ein Doctor aus ihrem Befehl gemacht und gerufen, muss ich wahrlich bis an mein End bekennen und kann nun fort nicht schweigen noch aufhören, wie ich wohl gerne wollte und auch wohl so müde und unlustig bin über der grossen unleidlichen Undankbarkeit der Leute.“* Lvtheri *Opp.* ed. Hal. T. V. p. 1062 sq.

huius ab Universitate Parisiensi vel ab Iudaeorum academiis repetere hic non attinet. Nam et Rabbini, qui promotioni suae (סמיכה Hebraice dictae) tantam vim tribuerunt *), et scholastici, qui primi doctoralem lauream adepti sunt, longissime abfuerunt ab eo, quod mihi quidem doctoris theologiae videtur esse proprium.

In Luthero autem duae potissimum virtutes nobis sunt spectandae, quae unicuique doctori theologiae ad imitationem proponantur. Quo ille impulsus fuit divino spiritu, is Dei gratia hominibus datur atque precibus piis seriisque omnino a Deo expeti debet, non autem humana contentione atque studio adfectari potest. De hoc igitur nunc non loquimur. Certe quemadmodum Moses, quum Eldadum et Medadum in castris vaticinari nuntiatum esset, *utinam totus Iehovae populus eius spiritu adflatus vaticinetur*, dixisse fertur, ita etiam nobis in votis est, ut omnes theologiae doctores eodem, quo Lutherus, spiritu incitati sint. Sed hoc Dei voluntati permittendum. Quae autem unicuique, si velit, imitari atque adsequi licet, in Luthero haec fuere, alterum veritatis amor in-

---

*) Traditur R. Iuda ben Baba martyris mortem subiisse ad legitimam promotionem conservandam. Promovit enim contra edictum Imperatoris Romani quinque seniores impositione manuum, unde nomen הלומך, promotoris, ei inditum est. Vid. OTHONIS *Hist. doct. Misn.* p. 111.

victus cum libertate audacissima, alterum historiae Christianae sacraeque Scripturae studium diligentissimum. Nam in eo maxime cernitur prophetiae Hebraicae et theologiae Christianae diversa ratio, quod, quemadmodum omnis fere recentiorum scientia atque disciplina ab historia proficiscitur, ita etiam rerum sacrarum apud nos cognitio cum antiquitatis studio arctissime coniuncta est, ut qui Ecclesiae ac religioni augendae excolendaeque operam navare velit, eum eruditionis historicae apparatu instructum esse oporteat. Christianus theologus *ex suo thesauro*, ut Iesu Christi verbis utamur, *nova atque antiqua depromet*, quibus religionis doctrinam exornet, illustret, emendet.

Quale quum sit doctorum theologiae munus officiumque, quaeritur, quem in Ecclesia nostra teneant locum, quaeque iis cum ministris ecclesiasticis intercedat ratio. Sacerdotio a Luthero everso, ministerium ecclesiasticum in nostra Ecclesia exstitit, quod verbi divini praedicandi sacrorumque administrandorum negotio perfungitur. A sacerdotio et catholico et Levitico toto id coelo distat, natura tamen sua fertur ad religionis doctrinam, qualis est publice constituta, ritusque, quales obtinent, servandos tuendosque. Quod studium etsi minime vituperandum, immo laudandum est, quippe quo publicus Dei cultus firmetur

atque stabiliatur, tamen alio prorsus diversoque studio religionis doctrinam ritusque emendandi excolendique aeque opus est ad Ecclesiae nostrae salutem. Atque hoc ipsum doctorum theologiae est, quibus adeo cum ministris ecclesiasticis semper est colluctandum, eo tamen, quo Christianae religionis praeceptores decet inter se contendere, amoris pacisque studio. Male igitur doctoris theologiae dignitatem aestimare mihi videntur, qui ad munera ecclesiastica eam referunt. Equidem si omnes, qui non sunt ex ministerii ecclesiastici ordine, Laicos dixeris, in Laicis numerandos esse doctores theologiae atque in Ecclesia recte administrata populi oratores atque interpretes habendos affirmare non dubito *).

Plura dicere hac de re locus non patitur. Significanda enim nunc est laetissima disputationis nostrae occasio. Petiit ab Ordine nostro summos in theologia honores vir maxime reverendus atque doctissimus, Ioannes Augustus Guilelmus Neander, Philosophiae Doctor, Theologiae Professor P. O. in hac Regia Universitate, et Consistorii provinciae Brandenburgicae Consiliarius,

*) Ioa. Gerhardvs in *locis theologicis* de doctoratu theologiae peculiari agit capite, nihil autem habet, quod de eius ministeriique ecclesiastici mutua ratione statuat, nisi quod promotio non sit pro ordinatione habenda. Ceterum quum praeviam quasi ordinationem illam esse censet, doctoratum perperam ministerio ecclesiastico inferiorem habere videtur. Alias aliorum sententias vide apud ipsum.

collega noster coniunctissimus, quem illis honoribus dignum esse in primis, testantur scripta ad historiam ecclesiasticam pertinentia iusta virorum doctorum laude ornata, testantur lectiones, quas in hac Universitate habet bonae frugis plenas, testantur munera gravissima Regis Augustissimi voluntate in eum collata. Quapropter et eo et nobis, utpote collegis, indignum visum est, ab eo postulare, ut solita eruditionis specimina examine theologico subeundo publicaque disputatione habenda exhiberet, placuitque Ordini nostro, ut actus hic solennis duabus orationibus, altera Promotoris ex decreto Ordinis legitime constituti, Philippi Marheinecke, Theologiae Doctoris et Professoris P. O., altera Candidati, celebraretur. Voluit quidem Candidatus, in quo cum eruditione maxima summa est modestia, antiquo mori id dare, ut dissertationem inauguralem, doctrinae specimen, ederet; negotiis autem quum impediretur, quominus opus ad hoc tempus perficeret, satius visum est, posthac id edi, quam promotionem differri. Quem actum solennem ut sua praesentia ornent, et Candidato nostro novam dignitatem capessenti testes se benevolos praebeant, omnes, qui in hac Regia Urbe discunt litteras, vel docent, vel earum fautores esse haberique volunt, omni, qua par est, observantia atque humanitate rogamus.



